
Harvard College.
1867.




SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE
SUBSCRIPTION FUND
BEGUN IN 1858.
23 Jan. 1873.

15.

SOPHOCLES

QUA RATIONE VOCABULORUM SIGNIFICATIONES MUTET ATQUE VARIET.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

CAROLUS SCHAMBACH,

VERDENSIS.

GOTTINGAE

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXVII.

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

PATRI CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Sophoclem non modo nos qui hodie Graecorum tragoedias summo cum gaudio legimus, omnium consensu primum inter poëtas tragicos Graecos habemus, sed ipsorum Graecorum qui summus exstitit judex, Aristoteles, nec minus si Aristophanis [1]) ad Aeschylum principatum deferentis et Quintiliani [2]) Euripidem prae ceteris colentis judicia exceperis, qui ante et post eum in hanc rem inquirebant, palmam ad Sophoclem deferebant; praeter alias virtutes, quibus enumerandis non datus est locus, maxime ea laude excellit Sophocles, quod medium inter Aeschyli magnificentiam et Euripidis affectationem quasi cursum tenuit [3]). Novavit ille multa cum in institutis tragoediae, tum in tragico sermone, qui quid habeat in Sophoclis tragoediis proprii, paucis mihi liceat exponere. — Ac primum quidem si Graeci Sophoclem poëtam *Ὁμηρικώτατον* dicebant [4]), quam id recte fecerint, non modo ex rebus narratis, sed etiam ex personis depictis, quas apud utrumque „*σπουδαίας*" esse dicit Aristoteles [5]), ex usu vocabulorum epicorum et formarum (velut *πέπον* in Oed. Col. 515 [6]), *ἰδέ* Ant. 969, *ὡσεί* Ant. 653, *ἔκτυπεν* pro *ἐκτύπησεν* Oed. Col. 1456, *φύλοπις* El.

---

1) in Ranis v. 1515 sqq.

2) in institutt. orat. X, 1, 68.

3) Dio Chrysost. oratt. II. p. 272: *ὁ Σοφοκλῆς μέσος ἔοικεν ἀμφοῖν εἶναι, οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν τὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου κτλ.*

4) Eustathius compluribus locis. cf. Max Lechner De Sophocle poëta *Ὁμηρικωτάτῳ*, Erlangae 1859.

5) *περὶ ποιητικῆς* cap. 3.

6) ex Bothii emendatione.

1072), ex significatione verborum, quam eandem haud raro apud utrumque valere (ut λίμνη fretum, sinus, ῥυτήρ lorum, ναίειν situm esse de insulis dictum [1]), satis notum est, omnino ex toto sermonis Sophoclei tenore, qui ad Homericum prope accedit [2]), sponte intelligitur.

Deinde quemadmodum sermo Sophocleus Aeschyleum aequet, vel quid discriminis inter utrumque intersit, paucis comprehendamus. Duae res prae ceteris mihi videntur esse commemorandae: altera quod Sophocles magniloquentiae aeque atque Aeschylus studiosus hujus tamen tumorem [3]), quem vel summus Aeschyli laudator Aristophanes reprehendit, feliciter evitavit; quod alterum inter utrumque poëtam intercedit discrimen, in eo cernitur quod cum Aeschylus in fingendis novis verbis multus fuisset [4]), Sophocles verba novo modo usurpavit [5]). Patet quidem, neutram artem ab alterutro prorsus esse neglectam; nam ut hic quoque multa verba ex suo ingenio composuit, cujusmodi quae in tribus fabulis Electra, Aiace, Antigona leguntur, collecta notavit G. Wolffius, quae in Oedipo Coloneo ipse inveni nunc adscribo, quo quantus fere sit numerus melius dijudicari possit: θάκησις in v. 9, δεινῶπες 84, ξενόστασις 90, ἀσκέπαρνος 101, πάμμορος 161, ἀντίπετρος 192, ἄφορμος 234, εὔσοια 390 et frgm. 119 [6]), ἔμπολιν 637 et 1156 [7]), μυριόκαρπος 676, βακχειώτας 679, καλλίβοτρυς 681, στερνοῦχος 691, αὐτόποιος 697, βιοστερής 747, μετασπᾶν 774, δυστομεῖν 986, δίστολος 1055 [8]), ἀμπυκτήριος 1068, ταχύρρωστος

---

1) Comp. Il. II, 626 cum Ai. 597.

2) Dionys. Halicarn. de comp. verbb. 24.

3) Haupt in annall. phil. vol. suppl. I, p. 226 et 245 sqq.

4) Todt de Aeschylo verborum inventore, Hal. 1855.

5) Odofr. Müller. gr. Lit. II, 140. Bernhardy Gr. d. gr. Lit. II, 2, p. 310. Lindner, Cothurnus Sophocleus § 14.

6) Fragmenta e Nauckii recensione, versus VII. fabularum ex Bergkii, Aeschyleos ex Dindorfii, Aristophaneos ex Meinekii editione affero.

7) cf. Hesychium s. v.

8) cf. infra § 18.

1081, πυκνόστικτος 1092, ψευδοστομεῖν 1127, ἰσοτέλεστος 1220, ἀπροσόμιλος 1236, κυματοαγής 1243, ἀκτένιστος 1261, δυσπρόσοιστος 1277 [1]), ψευδόφημος 1517, ἀδῆος 1533, βαρυαχής 1561, αἰένυπνος 1578, ἐξαπείδω 1648, εὐσκίαστος 1707, ἐπενάριξον 1733 [2]), ὑπερνοέω 1741. — Quemadmodum igitur Sophocles quoque nova invenit verba, sic Aeschylus vocabula, quorum frequens est usus, nove translata significatione usurpavit, sed in eo summa posita est rei, quod hujus in illa re minor est audacia, illius in hac re. Qui vocabula illa ex Oedipo Coloneo collecta cum vocibus ab Aeschylo fictis comparaverit, facile opinor poterit, quam certos componendi fines sibi constituerit Sophocles, cognoscere, quasque rationes in usu verborum et novorum et nove dictorum secutus sit. Aeschylum Euripides in fabula Aristophanis [3]) κομποφακελλορρήμονα nominat nimium ejus componendi studium denotans, Sophocles ex similium analogia format quae format [4]), ita tamen, ut eorum vis alia sit, atque quam — quemadmodum formata sunt — habere debeant. Ut exemplum rei adjungam, commemoro duo supra ex Oed. Col. allata verba: θάκησις et ἀντίπετρος, de quibus infra sermo erit. — Quid? quod quamvis sit ζηλωτὴς Ὁμήρου [5]), vocabula, quorum constans apud Homerum est vis, mutata significatione sibi sumit. Sic adjectivum πολυτλάς, notissimum illud Ulixis, quippe qui multa sit perpessus, cognomen a Sophocle in malam partem dictum significat: „qui nihil non audet“, Aj. 954. —

Poëtae transferendi morem postquam cognoverunt grammatici, mox eo est ventum, ut quae fidem nullam haberent exponerent, atque eo usque nonnumquam sunt progressi, ut vim vocabuli a poëta in contrariam esse permutatam sibi persuaderent, quam procul ab arte tragica perspicienda ab-

---

1) ἀπρόσοιστος legitur apud Aeschylum. cf. § 16.
2) quod ex Hermanni emendatione scribitur.
3) Ranae 839.
4) Struve de dictione Sophoclis. Berolini 1864. p. 13.
5) Eustath. p. 514, 45. ad Il. V, 6.

essent comprobantes. Sic in frgm. 38 adjectivum *φαῦλος* significare „magnus“ Photio nemo credet [1]; in frgm. 417 fallitur scholiasta, qui *ποδαπός* pro *ποῖος* positum esse censeat [2]; in Phil. 276 scholiastam, cum explicet *νῦν τὴν ἐξ ὕπνου ἔγερσιν*, non modo quod non necessarium, sed quod falsum sit accipere ex Dindorfii adnotatione colligi potest. Idem in scholio quod ad Phil. 287 adscriptum est: *σύμφορα· ἀναγκαῖα* valet [3]. — Absurde Suidam in frgm. 872 *ὡς: λίαν* interpretari quivis intelligat, cum *θαυμαστὰ ὡς* conjungenda sint. —

Ne recentiorum quidem temporum homines docti plus ex poëtae verbis elicere quam inest conati vitium translatam vocabuli vim statuendi, ubi simplex et propria ad verba poëtae explicanda sufficiat, semper fugerunt. Sic in Phil. 568: *αὐτάγγελος* vocabuli significationem: „ipse ultro operam suam pollicitus“ esse quod dixerit Brunckius, frustra laudat Dindorfius; nihil est nisi: „ipse nuntians“ [4]. — Non aliter res se habet in Ant. 914, ubi vocabulum *σαίνει* valde exercuit interpretes. Neque Wexius primam verbi vim movendi esse putans, neque qui eandem significationem a vulgari ductam censent [5], verum mihi videntur cognovisse; nisi egregie fallor, *σαίνω* hic ut alias haud raro blandiendi, permulcendi vim habet; cf. O. C. 320: *σαίνει με προστείχουσα.* Audacia si quae est audacia in eo conspicitur, quod princeps enuntiati notio, quam audiendi esse apparet, in subjecto *φθόγγος* latet, secundaria autem, quae est laetitiae, verbo notatur: quod pro: „percipio caram filii vocem“ praegnanter poëta dicit: „vox quam audio filii cara ad me venit“. — In Passovii lexico quam legis vocis *συναλλαγή* allatam significationem: Geschick, Schickung, ea non est nisi ab interpretibus inventa; tres enim quibus ni-

---

1) Audi Ellendtium in lex. Soph. s. v. de hac re disputantem.
2) cf. Dind. ad frgm. 403.
3) cf. Nauckii adnotationem criticam.
4) De vocabuli *αὐτός* significatione „ultro“ vide § 24.
5) cf. Valckenaer. ad Eur. Hipp. v. 863. p. 256.

titur haec hominum doctorum opinio, Sophoclei versus aliam explicationem ultro admittunt [1]). Copiose de hac mihi re exponenti id propositum est, ut postea cum de rationibus transferendi agetur, ejus generis res silentio praeterire possim, nec spero fore, ut justo longior esse videar, si pauca addam. In Oed. R. 478 *πετραῖος* neque quomodo eum qui in montibus vagatur significare possit, adsequor, neque articulum in comparatione admissum esse aliquam verisimilitatis speciem habet [2]); qua de causa nil nisi ut Dindorfio *πέτρας ἅτε ταῦρος* conjicienti assentiamur restat. In O. C. 698: *ἀχείρωτος* non quidem in *ἀχείρητος* mutandum esse pro certo habeo, nec tamen vocem illam eo sensu a Sophocle usurpatam esse, ut „non sertus" significet, credo; retinuit vim, qua aliis locis praeditam eam videmus; namque „invicta" dicitur oliva, quia Lacedaemonii in Atticam irrumpentes agrosque vastantes sanctam olivam metu Deorum moti violare ausi non sunt [3]). — De uno adhuc verbo quid sentiam proferre mihi liceat. Legitur in Phil. v. 1265. Opinionem Schneidewini vocem *χρῆμα* his explicantis: „das Begehren (64: *τοῦ κεχρημένοι;*) ist schlimm" acute ut solet Bonitzius [4]) refellit. Num vocabulum illud, ut quod sit verbale a verbo *χρῆσθαι* ductum, in significationem, quam Schneidewinus atque ante eum Hermannus in eo inesse putabant, abire aliquando possit, non est cur indagemus, quia Sophoclem hîc a vulgari usu recessisse nulla re cogimur ut statuamus. — Sed cum ejusmodi quaestiones haud raro nascantur, hac data occasione quam sit judicium de talibus rebus difficile commemoro. Etenim solo saepe usu fieri, ut certa vocabula certam vim accipiant, quamquam libenter concedo, tamen si de talibus rebus disputamus, semper co-

---

[1]) cf. Bonitz. Zeitschrift für östreichische Gymnasien 1856, p. 640. 41.

[2]) Bonitz. l. l. p. 649 sq.

[3]) Scholiastam quoque vocabulum sic intellexisse inde fortasse colligi potest, quod eam rem hoc loco narravit.

[4]) Bonitz. Berichte der Kaiserl. Akad. zu Wien, histor. phil. Abth. 1855. p. 449 sq.

gitandum nobis est; antiquorum librorum minimam tantum partem ad nos venisse, ut non supra quam quod credi possit statuamus, si, quam vim semel tantum vocabulo subjectam novimus, eandem pluribus locis tantum nobis ignotis valuisse dicamus; ea tamen conditione, ut transferendi ratio cognoscatur atque analogia comprobetur. — Sed — venia sit morae — ad Philoctetae versum redeo, qui simpliciter in hunc modum explicandus est: „Quanam re indigentes? certe mala quaedam est". *χρῆμα* igitur rem significat secundum Homericum usum; atque ad quaestionem *τί κτλ.* rhetorice, — ut dicere solent —, respondetur; fortasse quoque lepor verborum: *κεχρημένοι* — *χρῆμα* non praeter poëtae consilium est. — Sunt igitur nonnulli homines docti nimis ad novandi studium Sophoclis attenti. Ab his, qui in omnibus difficultatibus conjectura removendis operam perdunt, longe dissentiunt. Verum hoc, Sophoclem ut frequentissime sic prudentissime verborum significationes transferre, attamen eum periculum quod in novando subiit, non semper evitasse atque aliquantulum nonnumquam de spatio curriculoque, ut ita dicam, deflexisse, quamvis sim artis Sophocleae admirator, concedo. Quae cum ita sint, interdum fit, ut insolenter utrum scripserit poëta, an lectio codicum vitium traxerit, difficile sit dijudicatu [1]). Recentiores critici fere omnes ad conjecturas faciendas perfugiunt, mihi autem placet illud Quintiliani [2]): „Modesto tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne quod plerisque accidit, damnent quae non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam multa displicere maluerim." Quae quidam reputantes homines docti si operam quam in mutando textu inveniendisque conjecturis perdebant, explicandis poëtae verbis navassent, melius fortasse de eo meriti essent. Tantum igitur abest, ut numerum conjecturarum paene innumerabilem novis aucturus sim, ut ubi dubitationi

---

1) cf. Meineke ad Oed. Col. 1653.
2) X, 1, 26.

sit locus, num quo nomine lectio tradita possit defendi examinare quam promptum me ad damnandum praebere malim. Hanc meam sententiam professus quod mihi propositum est adibo, et quam rationem in mutandis verborum significationibus secutus sit Sophocles, quousque transferendi audacia ejus provecta sit, quid fuerit audenti supremum, quaeram. —

De generum verbi usu.

§ 1.

Generum verbi numero lingua Graeca aliis praestat; nam cum ad activum et passivum tertium accedat genus, quod *μεσότης* nominant grammatici [1]), non modo fieri potest, ut scriptores vel quae levissima inter complures actiones intercedant discrimina exprimant, sed etiam ut ad suum quisque arbitrium eo utatur genere, a quo colorem aliquem ducat oratio. —

Magna est Sophoclis audacia generibus ita utentis, ut vis a forma discrepet; ac primum quidem activum usurpat, ubi passivum exspectamus. Sic quod in El. 699 activam verbi *τέλλω* formam de oriente sole pro vulgata passiva usurpavit, eo minus offendit, quo saepius compositi verbi *ἀνατέλλω* activa forma hoc sensu dicitur [2]). — In O. R. 153 *πάλλων* pro *παλλόμενος* scriptum legimus eo sensu, quem recte scholiasta cognovit, cujus haec est adnotatio: *παλλόμενος φόβῳ, ἀγωνιῶν*, i. e. metu percussus. Idem bis sibi permisit Euripides [3]); medio usus est Homerus in Il. XXII, 461: *παλλομένη κραδίην*. —

Plerumque si activum passivi locum tenere putatur, eo res redit, ut verbum pro transitiva, qua vulgo praeditum

---

1) Dionys. *γραμμ.* 15.

2) Apud Herodotum et Sophoclem, non apud Homerum. cf. O. C. 1246.

3) cf. Ellendtium in lex Soph. s. v.

est, vim intransitivam accipiat [1]); quod quoties fiat apud Sophoclem, ex exemplorum copia intelligitur. In El. 1419 *τελοῦσι* significat: explentur, in O. R. 668: *κακοῖς κακὰ προσάψει* interpretandum est: malis mala adjungentur, nisi forte Elmslejus *προσάψει* a subjecto (v. 665) pendere censens verum vidit [2]); in O. C. 1503: *χάλαζ' ἐπιῤῥάξασα* i. e. „irrumpens" praeter vulgárem verbi usum dictum est; in Ant. 888: *τυμβεύω* „sepultus dego" significans nullo alio loco intransitiva vi usurpatum invenitur; Trach. 130: *πῆμα καὶ χαρὰ κυκλοῦσιν ἐπὶ πᾶσιν* conferas cum Aj. 19: *βάσιν κυκλοῦντά με* et cum El. 1365: *πολλαὶ κυκλοῦνται νύκτες;* in Trach. 678 *ψάω* i. e. „in pulverem dissolvor" intransitive dictum nullo exemplo comprobari potest [3]); idem cadit in Trach. v. 824: *ὁπότε ἐκφέροι δωδέκατος ἄροτος* i. e. adveniat [4]); in Phil. autem versu cur *πραΰνειν* intransitive intelligatur, nulla est causa; neque *πάνυ* cum verbo *πραΰνειν* conjunctum quid habeat miri perspicio, modo ne vertatur, ut vertit lectionem in suspicionem vocaturus Meinekius: vehementer sopire; ita locutum esse hominem Graecum vel Romanum non magis credibile est quam nobis dicere licere: heftig besänftigen; sed *πάνυ* quod a voce *πᾶς* ducitur cum non „vehementer", sed „valde", vel „plane, prorsus" significet, Sophocles *πάνυ πραΰνω* aeque bene dicit, atque Aristophanes: *πάνυ μανθάνω* [5]). Quod poëta insolenter fere in El. 1194 *ἐξισοῖ* a Suida s. v. *ἴσα πράττει* explicatum ita usurpavit, ut activum genus verbi transitivi passivam vel intransitivam habeat vim („par est"), ejus audaciae socium se praebuit Thucydides, qui et ipse VI, 87, 5 illam vim vocabulo tribuit [6]).

---

[1]) cf. H. Mueller: De generibus verbi. Diss. inaug. Gryphiswald. 1864. p. 24 sqq.

[2]) Hermannus et Dindorfius alia afferunt exempla.

[3]) Qua de causa Meinekius anall. Soph. p. 296 audacissime mutat. cf. Nauck. p. 151.

[4]) Wunder ad O. C. 1419 sqq.

[5]) Ranae 65 et saepius.

[6]) Lobeck ad Aj. v. 268. p. 196. adn. 1. Reisig. conjj. in Aristoph. p. 152.

— Memorabilis est versus fragmenti, quod Stobaeo servatum debemus, 856, 11:

νωμᾷ δ' ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερὸν

Verbum νωμάω ubicumque legitur, transitive dictum est, hoc autem loco, quo verbo εἰσέρχεται (v. 8) respondet, non acquiescendum est in sententia grammaticorum, qui accusativum αὐτί supplendum esse affirmant, sed Sophoclem singulari usu verbum usurpasse agnoscendum est. Recte fortasse intransitivum hujus verbi et similium usum ita explicant, ut accusativum, quem certorum verborum notio desideret, cum facile suppleri possit, omitti statuant, velut omisso substantivo ψῆφος verbum τίθημι significationem suffragium ferendi retinet [1]). Nec tamen hoc poëtarum semper animo obversari certum est; ac ne hoc quidem fragmenti loco, ubi ab avibus, — quae si quid movent, movent alas, — metaphora sumpta est, rem eo explanamus, quod πτερὰ supplendum esse contendimus, sed apertior, nisi judicio fallor, res fiet, si poëtam pro eo quod dicere potuit: ἐκείνῃ πτερὸν νωμᾷ dixisse: πτερὸν ἐκείνης νωμᾷ existimaverimus. Non bene Ellendtius mihi vocabulum illud vertere videtur „regere", melius, opinor, nostrum „sein Wesen treiben" verbo Graeco respondet. Quemadmodum in fragmenti versu verbum simplex, sic Phil. 778 προσενώμα et 168: ἐπινωμᾶν intransitive dictum vim fere accedendi accipit [2]). — Ut finem faciam disputandi de re satis nota ad extremum commemoro, prae aliis verba quae in ευω, υνω, αινω desinant, modo transitivum, modo intransitivum usum apud Sophoclem admittere [3]), velut Aj. 1004: ταχύνετε quod recte scholiasta explicat: μετὰ σπουδῆς ὀρύξατε [4]), i. e. celeriter parate, El. 916: θάρσυνε bono animo sis.

---

1) Bonitz. Ber. d. K. Akad. p. 458 sqq.

2) De his locis vide Struve p. 20 sq.

3) Struve p. 19.

4) Videtur scholiasta aoristum legisse.

§ 2.

Consentaneum mihi videtur esse, ut verbis, quae activam formam, notionem passivam habere vidimus, adjectiva adjungantur, quibus consimiliter a Sophocle praeter vulgarem usum vis passiva subjicitur [1]). Multum quidem abest, ut omnia ejus usus exempla, — quae permulta sunt — enumerare atque de singulis quibusque copiose disserere velim; ita potius disputationem instituam, ut audacissima quaeque exempla, et quibus maxime quantum poëtae notiones vocabulorum mutandi sit studium comprobetur, examinem facilioribusque tantum ad rationem demonstrandam utar. — Vocabulum *τυφλός* saepe „obscurus" valere, ut Latinum quoque „caecus", inter omnes constat. Cf. Soph. frgm. 533. 596. O. C. 182: *ἀμαυρῷ κώλῳ* caeco pedi, i. e. pedi hominis caeci [2]). Plus Sophocles ausus est, nec tamen praeter similium exemplorum analogiam novavit, quod participium *ὁρῶντα* pro *ὁρώμενα* posuit in O. C. 74:

ὅσ' ἂν λέγωμεν πάνθ' ὁρῶντα λέξομεν

ad quae verba Brunckius adnotavit: „Tropice: caligine non obvoluta, perspicua, *ὁρώμενα.* Sic saepe activam verbi formam pro passiva adhibet Sophocles, ut infra 1604: *παντὸς δρῶντος* pro *δρωμένου,* Trach. 196: *τὸ ποθοῦν* pro *ποθούμενον.*" Verum vidit hoc loco vir doctus, falsus est in v. 1282, ubi recte Meinekius ipsa quae quis loquatur verba *δυσχεραίνειν* et *κατοικτίζειν* dici statuit, minus recte idem in illo *ὁρῶντα* valere putans, etiamsi ejus usus rationem in hac cogitatione esse non nego; quo enim jure pro passiva activam formam ponere umquam poterat poëta, nisi res ipsa quasi quid faciens cogitabatur? Nescio an Schneidewinus recte comparaverit Aesch. Choeph. 844:

πῶς ταῦτ' ἀληθῆ καὶ βλέποντα δοξάσω,

cum ex addito *ἀληθῆ* sequi videatur, *βλέποντα* per trans-

---

1) Struve p. 15 sq.

2) Alii eam vocem hoc loco aliisque „infirmus" significare censent.

lationem viva i. e. vera (quae vere sunt) significare. — Insigne exemplum praebet versus O. C. 487, ubi Elmslejus adjectivum σωτήριος „salvus“ explicat. Non probandam esse L. Dindorfii conjecturam [1]), qua σωτηρίους legi voluit, pro certo habeo; sed quos ex Aeschylo sumptos Hermannus ad comprobandam passivam vocis significationem attulit locos, eis nihil demonstratur; namque in altero versu, qui est Ag. 646:

σωτηρίων δὲ πραγμάτων εὐάγγελον

ne potest quidem, quantum equidem video, vocabulum σωτήριος passivo sensu explicari; in altero Choeph. 236: ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου Orestem (de eo enim sermo est) salvum a poëta dici sint qui sibi persuadeant; melius certe Orestem salutem sorori atque domui allaturum intelligimus; id enim speraverat Electra: fore ut frater exsilio domum reversus poenas a patris interfectoribus sumat et cum sorore amore conjunctus splendorem aedibus Atridarum restituat. — Sophoclis igitur proprius ille vocis σωτήριος usus est. — Valde elaboraverunt homines docti in explanandis verbis (Ant. 974):

ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις

Vocabuli ἀλάστορος, quod aliunde notum non est, ut a forma enucleanda incipiam, Lobeckii [2]) opinioni Sophoclem terminationem verbi ἀλάστωρ variasse censentis non est qui non accedat, sed de significatione longe dissentiunt editores. Scholiastam his usum verbis: τοῖς ἄλαστα πεπονθόσιν κτλ. elicere e voce studuisse quod inesse non possit contendens Seyffertus bene exponit, propriam vim vocabuli esse: οἱ μεγάλα ἁμαρτάνοντες (Hesych.), alteram οἱ τοιαῦτα τολμήσαντες, ὧν οὐκ ἔστιν ἐπιλανθάνεσθαι (Suidas). Quod Ellendtius ὀφθαλμοῖς ἀλαστόρως τυφλωθεῖσι sensum esse suspicatur, rectum fortasse sentit, sed explicandae voci, de cujus quaeritur vi, non prodest; neque ex Schneidewini verbis fructus capitur. Quod mihi in mentem venit: pro

---

1) In Steph. Thesauro propositam.

2) Paralipomena grammaticae Gr. I, p. 274.

eo, qui nefarie agit, eum, in quem nefarie aliquid committitur, adjectivo ἀλάστορος a Sophocle indicari, ad scholiastae mentem proxime accedit neque Ellendtii opinioni repugnat; etenim consilio poëtam verba ἀλαὸν ἀλαστόροισιν nullo spatio divisa conjunxisse quivis facile intelligat. Fortasse aliquid obscuri remanet, cum ἀλάστορος accepta vi passiva rem nefarie factam significare oporteat; sed haud ita raro fit, ut accusativus rei et personae ab eodem verbo regatur; (nostra nos lingua praefixa syllaba be discernimus: schenken — beschenken, gehandelt — behandelt). — Exempla ejus mutationis non desunt. Adjectivum ὁμόσπορος, quod vulgo significat: ab eodem patre natus, in O. R. 260 in mulierem transfertur a duobus maribus in matrimonium ductam, quod non fugit scholiastam recentiorem adscribentem: εἰς ἣν ἔσπειρε καὶ ἐκεῖνος καὶ ἐγώ; (nos discernimus: gesät — besät); Schneidewinus bene comparat v. 460, ubi active dictum ὁμόσπορος a scholiasta explicatur: τὴν αὐτὴν σπείρων γυναῖκα [1]). Licet quoque conferri adjectivum εὐμαρής, quod semel tantum apud Sophoclem legitur, in El. 179 ibique singulari modo usurpatum, scilicet a re, quae facile fit, ad personam, quae facile aliquid efficit, translatum: χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός i. e. omnia dies tempusque afferet [2]). — At alia nonnulla adjectiva, quae pro activa passivam vim habent, consideremus. In ea re quod ἔμφοβος vulgo timentem, pavidum, in O. C. 29 eum qui terrorem injicit significat, non offendemus, si substantivum φόβος utroque modo usurpari [3]), neque aliter adjectivum

---

[1]) Metaphora ab agris spargendis sumpta apud poëtas, maxime apud Sophoclem usitata est: ἄλοκες O. R. 1210, ἄρουρα O. R. 1257 Aesch. Sept. 753. — Ant. 569:

ἀρώσιμοι γὰρ εἰσι χἀτέρων γύαι.

cf. Trach. 32 sqq.

[2]) cf. Lat. „facilis" de personis usurpatum.

[3]) In Phil. 1251 φόβος prope ad notionem minandi accedit i. e. verbis alicui terrorem injiciendi. Utitur poëta eo vocabulo propter id quod antecedit φοβεῖ.

φοβερός comparatum esse meminerimus [1]). Transeo ad alium locum tractandum, qui quamvis homines docti de verborum sententia dissentiant et num sit mutatione opus dubitent, mihi in numerum eorum, quibus passiva vis activa mutatur, videtur adscribendus esse; legitur in Trach. v. 554:

ἔχω λυτήριον λύπημα [2])

Mirabile Hermanni judicium esse *λύπημα* a *λυτήριον* (solvens) pendere existimantis neque alios explicandi conatus [3]) probari posse cum intellexissent recentiores critici verbum *λύπημα* pro corrupto habentes rectam sibi visi sunt viam ingressi. Secus mihi videtur. Propter nexum quo sententiae cohaerent — ut argumentatio inde initium capiat — verbis *λυτήριον λύπημα* notio remedii vel similis requiritur; qua de causa facile, opinor, eo perducimur, ut in vocabulo *λυτήριος* ejusmodi quid inesse suspicemur; quod num fieri possit si indagamus, primum reputandum est, exemplum adjectivi in *ηριος* exeuntis passive usurpati exstare in Aesch. Choeph. 6, ubi *πλόκαμος θρεπτήριος* legatur, deinde „id quod factum est" et „id quod fieri potest" notiones esse conjunctissimas, cum adjectiva verbalia utramque vim habeant, denique voce *κηλητήριον* in Trach. 575 „rem, qua quis deleniri potest", indicari. Quae cum ita sint, in eam sententiam inclino, ut *λυτήριος* „quod, solvi potest" significare putem. Tum dicit Dejanira: „quanam ratione habeam delebilem dolorem" — venia sit vocabulo „delebilis", quo leporem imitari conatus sum — i. e. „quanam ratione dolore quo sum affecta liberari possim, id vobis dicam"; quae sic notatur sententia, ex omni parte Sophocle est digna. — Mentionem fecerim etiam vocabuli *διαβόρος*, quod in una eademque Trachiniarum fabula et active: v. 1084 (Phil. 7) et passive: v. 676 dictum invenimus; nec silentio velim praeterire, insolenter fere poëtam substantivi *γενέτης*, quod vulgo patrem indicare constat, vim in contrariam mutasse,

---

1) Meineke Oed. Col. p. 137.
2) Lepor verborum in aperto est.
3) cf. Schneidewini adnotationem.

ut in O. R. 470 „filius" intelligendus sit, vi passiva activae subjecta formae [1]). Idem sibi sumpsit Euripides in Ione 916. — At haec hactenus. —

Activum pro Medio positum.

§. 3.

Quaerentibus nobis, qualis sit Sophoclis generum verbi vim variandi licentia, postquam activum loco passivi nonnumquam usurpari intelleximus, attendendus est similis activum pro medio ponendi mos. Sic *φέρειν* et *φέρεσθαι* promiscue apud poëtas leguntur, ut vix dicrimine distingui possint [2]). Exemplum ut afferam, comparari jubeo O. C. 6: *σμικροῦ μεῖον φέροντα* cum El. 1095: *φερομέναν ἄριστα.* Item in Phil. 1107 ad *προσφέρων* suppleri, ut ita dicam, oportet *ἐμαυτῷ;* docta est scholiastae ad hunc versum adnotatio haec nos docentis: *ἀντὶ τοῦ προσφερόμενος. ἐνίοτι δὲ ἔμπαλίν φησι διακονούμενος ἀντὶ τοῦ διακονῶν* [3]) *καὶ στιβαδοποιούμενος ἀντὶ τοῦ στιβαδοποιῶν* [4]). Huc pertinet qnod O. C. 1411 legitur: *ἔπαινος ὃν κομίζετον* pro *κομίζεσθον* ad analogiam verbi *φέρειν* dictum [5]). Errant autem qui O. C. 589 *κομίζειν* pro *κομίζεσθαι* usurpatum opinentur, namque, ut brevis sim, verba

κεῖνοι κομίζειν κεῖσ' ἐπαξιοῦσί με.

sic intelligenda sunt: „illuc illi ut me mittatis vos cogunt", vel „censent illi, vos me illuc mittere debere". — Rectius

---

1) Inspicias velim Ellendtium, qui optime de hac re disputat.

2) Reisig enarrat. in Oed. Col. p. XXVIII. Pflugk ad Eur. Hec. 308.

3) Phil. 287.

4) frgm. 974 Dind.

5) Meineke Oed. Col. p. 191.

verba quae in Phil. v. 708 leguntur: φορβὰν αἴρων a Dindorfio allata sunt. — Paulisper moremur oportet in considerando versu O. R. 640:

δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν,

quem quo jure hic commemorem, ex disputatione apparebit. In verbo ἀποκρίνω quia notio inest segregandi, nullam video causam, cur medio verbi genere: „sibi segregare", i. e. „a partium numero unam sibi segregare vel eligere" exprimi atque addito genetivo res, ex quibus eligatur, indicari negemus; qua de causa de se si Creon diceret: ἀποκρινάμενος δυοῖν κακοῖν, non miraremur, sed quod Oedipus dicitur ἀποκρίνας δ. κ. ἀπῶσαι ἢ κτεῖναι, id sola ea ratione explicari potest, ut ad medii analogiam activo: „dans mihi quarum duarum poenarum eligam alteram" significari existimemus, (quemadmodum medio sententia dicitur „eligens sibi", sic activo hanc prodi „aliquem sibi eligentem faciens" concedi fortasse potest) [1]). Sed totus versus valde suspectus est, primum propter violatam stichomythiae legem, cum quemadmodum tres versus 631—33 tribus respondent 34—36, sic duobus, quibus Jocasta Creontem alloquitur, duos respondere Creontis exspectemus, ut versibus quoque 642. 43. et 44. 45. parem numerum praebentibus ad extremum tribus utatur Jocasta; deinde versus mensura propter διαίρεσιν displicet: δυοῖν | ἀπόκρ. [2]); denique duas vocis δυοῖν syllabas in unam contrahi ab arte Sophoclea abhorret. Accedo igitur sententiae eorum, qui versum delendum esse censent. Hoc exemplo, quod etiamsi non alienum est a re, quam tractamus, tamen ceteris non simile esse concedo, inserto maxime id egi, ut quemadmodum disputatio de ejusmodi locis instituenda mihi esse videretur probarem. In viam redeo. Adscribendum est in numerum exemplorum, quae sine dubio ad genus translationum, quod nos occupat, spectant, quod dixit poëta in Trach. 1182:

---

[1]) Verbis sic explicatis in v. 624 sqq. nihil mutari debet. cf. Matthiaeum in gr. Gr. I, p. 128. §. 56.

[2]) v. Leutsch Grundr. d. gr. M. §. 72.

πρὸς τί ἐπιστρέφεις ἄγαν τήνδε πίστιν;

Vocabulum enim ἐπίστρεφεις si „poscis“ significat, a notione: „vertis in te“, i. e. „paras tibi“ ad eam significationem translatum est, sin „curas“ intelligere malueris, genus activum vi medii instructum est. — In Ant. 19 verba: σ' ἐκτὸς πυλῶν ἐξέπεμπον recte a schaliasta: μετεπεμπόμην explicata esse liquet; atque inde quod insigne hoc exemplum neque de sententia neque de lectione ullam admittit dubitationem, multum ad Sophoclis licentiam comprobandam confertur. — In O. C. 1057 ἐμμίξειν est „manus conserere“, cum Hermanni sententia, qua verbum suppleri voluit, probari non possit [1]). Specie diversum, reapse simile est substantivum κλοπή in Aj. 246 se subducendi i. e. fugiendi, fugae sensu usurpatum. Eadem qua poëta Graecus metaphora nos vulgari sermone utimur sich wegstehlen dicentes; ac nescio an aliter sint comparata, quae aptissima ad mercatoris loquendi rationem [2]) in Phil. 577 legimus:

ἔκπλει σεαυτὸν ξυλλαβὼν ἐκ τῆσδε γῆς.

§. 4.

Sequitur ut de medii generis usu quae dicenda habeam proferam. Sophoclem ut activum pro medio, sic vice versa medium haud raro pro activo posuisse, quin immo plurium verborum media forma solum usum esse constat. De hoc poëtae more aeque ac de quibus jam vidimus dicendum est, Sophoclem — quae eximia ejus virtus est — cum medio genere libere ac praeter vulgarem usum uteretur, id studuisse, ut colore aliquo orationem ornaret, sed nobis ut interpretando artem et consilium poëtae assequamur, saepe non contingere, cum praecipue quantum soli consuetudini, qua fit interdum, ut certo genere usurpatum certam significationem accipiat vocabulum, tribuendum sit, vix dignoscatur; idque

---

1) cf. Thuc. I, 2, 1 et Kruegeri adnotationem. Soph. Phil. 106.

2) Animum attende ad poëtae consilium eligendi verba, quibus mercatoris mores designentur. cf. v. 579, alios.

maxime valet in medium genus, quod saepissime admodum levi discrimine ab activo discernitur et nobis, ut quorum lingua eo genere careat, alieni obscurique quid videtur habere. His in universum praemissis exempla consideremus. In El. 1384 *προνέμεται* verbum media forma alio loco non dictum videtur significare: „progreditur, i. e. profertur, se profert", ut activae formae vim proferendi subjecit Aesch. in Eum. 313: *καθαρὰς χεῖρας προνέμοντα* [1]). In O. R. 685 vox *προπονουμένας* notanda est non modo propter mediam formam, cujus unum exemplum praeter hoc idque ex Stobaeo sumptum Passovius in lex. Gr. affert, sed etiam propter praepositionem *προ* verbo *πονέω* copulatam, de qua Schneidewinum audiamus disputantem: „verstärktes *πον.*, weit in Noth gediehen sein, wie *προδιδάσκεσθαι, προμανθάνειν*" [2]). Vereor ne vir doctus comparaverit, quae sunt dissimilia; nam *προδιδάσκειν* significare „ita aliquem docere, ut progrediatur in discendo" et *προμανθάνειν* „ita aliquem discere, ut proficiat" [3]), intelligitur, quia quaedam actio promovendi in illis verbis inest; sed *προπονέομαι* cum solam conditionem indicet, eo sensu, quo vult Schneidewinus, non magis dictum esse potest, quam *προπάσχω*. Quid tandem illud *προ* in *προπον.* sibi velit, confiteor me cogitando invenire frustra conari [4]). In Ajacis v. 32, ubi haec leguntur:

κατ' ἴχνος ᾄσσω, καὶ τὰ μὲν σημαίνομαι
τὰ δ' ἐκπέπληγμαι,

qui *σημαίνομαι* medium putant esse, hoc sensu usurpatum: „signa in meum usum colligo" [5]), num verum viderint, dubito, cum verbis *τὰ μὲν σημαίνομαι* opponi haec *τὰ δ' ἐκπέπληγμαι* mecum reputaverim, ut non verisimile habeam

---

1) Haec explicatio a M. Hauptio in lectione, quam de Sophoclis Electra habuit, proposita est.

2) Bonitz. B. d. K. A. p. 418—20.

3) cf. Interpretes ad Aj. 163. Solus Seyffertus ibi praepositionem aliter explicat.

4) Sophoclem verba cum praepositionibus componere amare, infra exponetur §. 14.

5) Sic Ellendtius. Compora quoque Lobeckium.

poëtam, cum in altera enuntiati parte passivo genere usus sit, in altera usurpare medium, a quo *τὰ μὲν* ut accusativus objecti pendeat. Qua perductus causa *σημαίνομαι* passivum esse hac fere significatione dictum: signis instruor (pro: signor), *σημαίνεταί μοι* persuasum habeo. conf. quae in § 2. de verbis *ἀλαστόροισιν ὀμμάτων κύκλοις* diximus. — In Ajace 510 quod reperitur media forma usurpatum, *διοίσεται*, id recte ab Hesychio et Suida: *διάξει, βιώσεται* explicatum non debuisse ab interpretibus tentari ostendit Seyffertus; eadem sententia effertur forma ejusdem verbi activa apud Euripidem in Rhes. 182: *ἄπαις διοίσει;* mediae exemplum affert Lobeckius ex Hippocrate sumptum, scriptore poëtici cujusdam coloris amante multaque ex Sophoclis more dicente [1]). — Ajacis v. 647 *κρύπτεται* medium pro activo *κρύπτει* dictum praebet. — Magna est poëtae audacia in El. 1249 *λησόμενον* pro *λησθησόμενον* usurpantis; quod jam a scholiasta intellectum esse apparet, quippe qui haec adscripserit: *λήθης τυχεῖν μὴ δυνάμενον* [2]). — Verbi *συντέμνειν*, quod „praecidere" atque deinde „delere" significat, genere medio in frgm. 856, 16 fortasse eis, qui fecerint, utilitatem afferri indicatur. His exemplis adde *ἀπαλέξασθαι* Aj. 166 et frgm. 282. — Medii generis usus cum tam frequens sit apud Sophoclem, persuasum habeo, quod in Trach. 103 legatur *ποθουμένᾳ*, non esse mutandum, neque in v. 996 Brunckium pro *ἠνύσω* recte scripsisse *ἤνυσας* [3]); frustra quoque *μετρούμενον* (Aj. 5) a Nauckio tentatum est [4]). — Restat ut de uno loco satis difficili accuratius disputemus. Quae in Ant. v. 362 leguntur verba:

Ἅιδα μόνον φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται

cum valde displicuissent Sophoclis interpretibus, certamen

---

1) Conf. quae de El. 227 in §. 23 dicentur. De Sophocle cum Asclepio conjuncto cf. Bergk, vita Soph. in ed. Tauchn. p. XX.

2) Matthiae. 495 e.

3) cf. Ellendtium et Dindorfium.

4) Meineke in anall. Soph. p. 275 dicit: „notiones metiendi et aestimandi sunt conjunctissimae".

quasi inter eos ortum est in proponendis conjecturis, ut fere non sit, qui num codicum lectio defendi possit quaerat. Schneidewinus scribi vult: *ἐπᾴσεται*, Rauchensteinius [1]): *ἐπαρκέσει*, Meinekius [1]) *ἐπεύξεται*, Seyffertus: *διδάξεται*: quae mihi optima videtur conjecturarum esse. — Sed inutile primum est, alium aliud excogitare vocabulum, cum quod ad verum proxime accedat, cognosci vix possit; deinde ex mea quidem sententia verbum *ἐπάξεται* a Sophocle scriptum est, neque dubitavit de lectione recte tradita qui illum Antigonae versum propter formam *φεῦξις* commemoravit Lobeckius [2]). —

Quandoquidem in usu est: *ἐπέρχεται νόσος* [3]), *ἵμερος*, *ἔρως*, transitive sine dubio *ἐπάγειν νόσον* etc. dici potest, ac dixit Aesch. in Sept. 157:

ποῖ δὲ τέλος προβὰς ἐπάξει θεός; [4])

similiter comparatum est, quod ex Brunckii conjectura in Trach. 1003 legitur: *ἐπιτρέψει*, i. e. adducet (mihi); quodsi *ἐπάγειν* sic usurpatur, reflexive dictum *ἐπάξεται*: „adducet sibi“ vel „sibi parabit“ quam offensionem afferat non video; nisi forte *ἐπάξεται* cum substantivo *φεῦξιν* conjunctum in causa fuit, cur homines docti verbo illo vitium contineri existimarent. Sed ne hoc quidem justo audacius mihi videtur dictum esse, quia verbum *ἐπάγειν*, cum generalem parandi, efficiendi notionem accipiat, ut apud Thuc. III, 10, 2: *δούλωσιν ἐπαγομένους*, cum substantivo, cujus vis negativa est, eodem jure conjungitur, quo *παῦλαν νόσου τυχεῖν* dixit poëta in Phil. 1329. — Sententia igitur illorum verborum haec est: mortis fugam sibi non parabit, sive: ut mortem fugiat, nulla arte efficiet.

---

1) In Jahnii annall. phil. vol. 75 p. 295. — Beiträge etc. p. 8 sq. Ante Mein. idem invenit Heind. ad Pl. Soph. p. 341.

2) ad Phrynichum p. 726.

3) cf. Trach. 1009: *ἕρπει νόσος.*

4) cf. de hac re Bonitz. in libello, quo de nonnullis Antigonae locis disseruit (Beiträge zur Erklärung des Soph. Heft 2) p. 47.

§. 5.

Transeo nunc ad tertium verbi genus considerandum vel ad eum usum, quo fit, ut passiva vel intransitiva vocabulorum vis cum activa vel transitiva commutetur. — Cum multa verba transitiva, si passiva forma usurpentur, vim intransitivam accipiant, velut *κεύθω* „occulto" significat, *κεύθομαι* „lateo", poëtica quaedam licentia in eo cernitur, quod Sophocles in Aj. 730 passivum verbi *διαπεραιόω* genus sensu quoque passivo dictum admisit, quamquam vulgo intransitive dictum transvehendi notionem habet; significant enim verba *διαπεραιώθη ξίφη*: nudati sunt gladii [1]. — De verborum genere passivo non habeo quid amplius dicam, cum participia, quorum natura adjectivorum est simillima, adjectivis adnumerari placeat; eis autem ita Sophoclem uti, ut quemadmodum activam vim in passivam, sic passivam quoque in activam mutet [2], jam exponere velim. Adscribo primum haec exempla: Ant. 582: *ἄγευστος* non gustans, 789: *φύξιμος* fugiens [3], 831: *πάγκλαυτος* valde lacrimans (Trach. 652), Trach. 446: *μεμπτός* vituperans, 969: *ἀναύδητος* silens, 1021: *λαθίπονος* efficiens, ut doloris obliviscatur aliquis, Ant. 875: *αὐτόγνωτος*, quod verbum a Sophocle fictum non, ut exspectamus, significat: „quod a se ipso cognoscitur, sponte intelligitur", sed „suam ipsius sentiam secutus" [4]. Similem esse rationem adjectivi *ἀγνώς*, quippe quod vulgo passivam, interdum apud Sophoclem aliosque poëtas activam vim habeat, velut in O. R. 678, 1133, constat; longe tamen a vulgari consuetudine recedit usus ejusdem adjectivi in O. R. 681 cum substan-

---

1) Supplendum esse: utrinque, i. e. a Teucro atque ab aliis Achaeorum regibus vidit Seyffertus.

2) Herm. ad Eur. Hec. 1125. Pflugk ad v. 1135. Struve loco supra laudato.

3) cf. G. Wolff. ad Ant. 4.

4) cf. quae in praef. de Sophoclis novandi ratione dicta sunt p. 7.

tivo δόκησις conjuncti; quo factum est, ut quam sententiam poëta verbis δόκησις ἀγνὼς λόγων notare voluerit, dubitent homines docti. Rectius quam Ellendtius notionem „ignota" translatam esse in similem „nova, inexspectata" existimat, plerique editores „incerta" explicant, modo ne vocem ἀφανής, qua similiter dicta ad explicandum illud ἀγνὼς non multum confertur, et ἀγνῶτα φθόγγον Ant. 1001, quod „sonum novum, inexspectatum" significat, comparaverint [1]). Subest, si quid video, illis verbis haec sententia: opinio, quae a verbis nascitur, (λόγων enim a δόκησις pendet) ignara, i. e. quae non expertis, sed dictis nititur. — Conferendum cum his est adjectivum ἄπυστος, quod jam apud Homerum et „ignarus" et „ignotus" significat [2]), et nostrum „unerfahren", quo proprie res, quam compertam non habemus, deinde homo imperitus indicatur. — Ut pergam hujus usus exempla quae commemoratione sint digna enumerare: ἄψαυστος in O. R. 969, eoque uno loco active dictum: „non tangens" reperitur. — Audacter poëta in Ant. 394 adjectivo ἀπώμοτος vim activam subjecit, ut sensus sit; „quamquam abjuravi"; quod cum sibi sumeret, non immemor fuit eorum quae v. 388 dixerat: βροτοῖσιν οὐδὲν ἔστ' ἀπώμοτον, sed consilio idem vocabulum repetivit, repetitum novo sensu ornavit [3]), ut non injuria significationibus ludere dici possit [4]). Quin immo quam id vere judicatum sit, ex ipso priori illo ἀπώμοτον cognoscitur, quippe quod in hunc fere sensum abierit: „nihil est quod eventurum non esse contendere possint mortales"; quanam in re audacia poëtae cernatur si quaesiverimus, mox apparebit, adjectivum, quod, cum notionem abjurandi habeat, vulgo de rebus antea factis usurpatur, hoc loco de rebus futuris eisque, quae non in potestate ejus qui abjurat sint, neque ab ejus pendeant voluntate, sed quas opinione tantum assequatur, usurpatum

---

1) Illud Dindorfius, hoc Wunderus attulit.
2) cf. Eustath. 1684, 38 (Od. XI, 274). Krueger, I, 41, 11, 26.
3) G. Wolff ad v. 167.
4) O. Mueller II, 140.

esse. — In Ant. 66 lectionem codicum, qua *παντογήρως* traditur, vitium traxisse si recte censerent homines docti, sine ulla dubitatione Bergkii conjecturam *πάντ' ἀγήρως* tam facilem quam aptam probarem [1]; sibi autem habeant ceteri quae invenerunt, ut Bambergerus [2]: *παντοθήρας*, Emperius [2]: *παντοδμάτωρ*, Kayserus [2]: *ὁ πάντα κλίνων* vel *κοιμῶν* [2], Schneidew. [2] *πανταγρευτάς* [2], G. Wolffius: *παντ-αγρεὺς*, Meinekius [2]: *ὁ πάντα πηρῶν* atque una literula mutata Seyffertus: *πάντα τηρῶν;* de hac conjecturarum strue novis novisque exaggerata non habeo quid dicam, nisi me sperare fore ut, quae fortasse alia inveniri possint verba, proponantur. — Ego quidem mutatione non opus esse pro certo habeo. Nam cum numerus adjectivorum praeter vulgarem usum active a Sophocle usurpatorum permagnus sit, atque accedat, quod verbo *γηράσκω* vim transitivam subjecit Aeschylus in Suppl. 894:

οὐδ' ἐγήρασαν τροφῇ

non dubito quin Sophocles adjectivum *παντογήρως* hoc sensu dixerit: „omnes senes reddens", i. e. „omnes infirmos reddens". — Notiones „senex" et „infirmus" conjunctissimas esse si omnino exemplis probari oportet, locum Aristotelis in memoriam nobis revoco., qui in polit. II, 9 legitur [3]), ubi philosophus inter vitia reipublicae Spartanorum numerat, quod senatores omnes senes sint, et rei hanc suggerit causam: *ἔστι γάρ, ὥσπερ καὶ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας.* — Quod hoc Antigonae loco admisit poëta, idem factum esse in ejusdem fabulae v. 1011 false opinatus est Brunckius, ibi enim passivam vim, quae est: „circumvolutus", retinet vocabulum *καλυπτός* [4]). — Contra *ἡλιοστερής*, quod in

---

[1]) Idem invenit Donnerus in translat. Soph. p. 266.

[2]) in Phil. I, p. 4. — a Schdw. commemoratur. — in Jahnii annal. phil. vol. 65 p. 203. — in Phil. VII, 637. — Beiträge etc. p. 20.

[3]) p. 48, 23 ed. Bekker.

[4]) cf. Boeckhium, qui Homericum *καλύπτειν τὶ τινὶ* comparat. Il. V, 315.

O. O. 313 „solis radios arceus" significat, in ἡλιοστεγής cur mutetur non est causa [1]). —

§. 6.

Ab adjectivorum de quo modo diximus usu haud multum distat verborum vulgo intransitive, singulis locis apud Sophoclem transitive dictorum, i. e. verborum factitivorum quae nominantur [2]); de quibus nunc disputaturus ita rem instituam, ut a difficillimo loco Sophocleo, qui, mirum quantum, exercuit interpretes, profectus, quid hoc in genere ausus sit poëta, quid evitaverit, terminis quasi circumscribere coner. In O. C. 1083 codices haec praebent: θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα. — A Theseo jussi cives Colonei Creontis comites persecuti sunt, ut illis Antigonam atque Ismenam, quas secum abduxerant, eriperent. Dum haec extra scenam aguntur, chorus de pugna, quam mox orturam esse auguratur, canens cupit, ut praesens rem adspicere possit. „Utinam celerivola columba sim et ex aetheria nube has pugnas quas jam committi auguror oculis meis sequi possim." His recte sententiam, quae sine dubio versibus illis effertur, explanavit Wunderus. De postremis cantici verbis certatim homines docti conjecturas protulerunt; sic Nauckius, ut quanta mutandi sit audacia exemplo comprobem, Hartungii conjecturam, qui scribi voluit θέᾳ πλήσασα, postquam commemoravit addit: „Ich habe θέᾳ τέρψασα vorgezogen, ohne die Richtigkeit dieser gewaltsamen Aenderung behaupten zu wollen." Sed hoc abiter tantum commemoratum sit. Verborum θεωρ. κτλ. sententia ad verbum translata „videns meum oculum" cum nihili sit, Heathius τοὐμὸν ὄμμα interpretatus est: „meis oculis" — de qua re nunc nemo cogitat —, alii voce τοὐμὸν vitium contineri,

---

1) Locos, quibus accuratius explicatur haec vox ab hominibus doctis, collectos habes apud Ellendtium s. v.

2) Egregie de his disputat Lobeckius ad Aj. v. 40 et v. 869. cf. Herm. ad Vig. p. 194 sq.

alii ὄμμα „spectaculum“ significare censuerunt. Posse vocabulum ὄμμα eo sensu dictum esse, tam certum habeo [1]), ut nihil quominus sic explicemus impediat, nisi quod pronomen ἐμὸν quid sibi velit, vix ac ne vix quidem intelligitur. Nescio an pronomine possessivo „quod curo, quod mea interest“ indicari quisquam sibi persuadeat; certe id quoque, quod sentiam, tragicum non olet. Hodie fere omnes interpretes conjecturam a Wundero et Dindorfio propositam secuti ἐωρήσασα scribunt, nisi quod Meinekius [2]) ea refutata viam sibi munit ad aliam proferendam opinionem; contendit enim ἐωρεῖν (pro αἰωρεῖν) nullius fidei formam esse neque αἰωρέω bene de ave, quae in aëre versetur, dici; sed de forma non dubitasset, si vocabulorum μετέωρος, ἐώρη [3]) meminisset, ac de sensu quoque argutius quam verius disputavit, quia in verbis ἐωρήσασα ὄμμα non notio adspiciendi aliquid super nobis situm, sed tantum oculos allevandi inest. Quae quamvis ita se habeant, ne mihi quidem conjectura illa placet, ut qua recepta quid nihil ad rem valeat notetur, omittatur sententia quam desideramus: „adspectum pugnae mihi parans“; sed magis etiam displicet quod ipse Meinekius scribendum proposuit: ἐρωήσασα τοὐμὸν οἶμα; quod enim: „habes columbae imaginem rapido volatu in altos nubium tractus tendentis ibique impetum suum sistentis, ut ex alto certamen spectet“, dicit, haec sententia, quae conjectura versui infertur, neque necessaria est, neque tam apta, ut conjectura verisimilitatis speciem accipiat. Quae his antecedunt verba, sic construenda esse: κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων αἰθερίας νεφέλας „utinam particeps fiam hujus certaminis ex nube aëria“ [4]) si recte censeo, ea accuratius a poëta definiri oportet, idque fieri verbis θεωρ. κτλ. verisimillimum est; jam nihil restat, nisi ut θεωρήσασα,

---

1) cf. § 7.

2) anall. p. 182.

3) cf. Wunder ad Trach. 572.

4) Genetivus αἰθ. νεφ. pendet et ipse a verbo κύρσαιμι; sola ea conditione praepositio ἐκ omitti potest. cf. Krueger 46, 1. adn. 1.

quod deesse non potest, sensu factitivo a Sophocle usurpatum esse concedamus [1]). Fuit haec Hermanni quoque sententia, qua tamen postea mutata Wunderi conjecturam in textum recepit. Quae Lobeckius ad Aj. 869 causativi verborum usus collegit exempla, ea quidem aliter omnia comparata sunt atque *θεωρέω*, quod cum proprie transitivam vim habeat, non addito accusativo objecti plenam sententiam non prodit [2]); attamen conferri possunt versus Sophocleus et Pindaricus, alter est Ajacis v. 869:

κοὐδείς ἐπίσταταί με συμμαθεῖν τόπος,

ubi ad infinitivum *συμμαθεῖν* non posse audiri *ὥστε* — quae fuit Elmsleji sententia — luculenter ostendit Dindorfius, et conjecturis, cum facilis eaque probabilis proposita non sit, abstinendum esse judico; quod si recte facio, ita tantum enodantur verba, ut voce *συμμαθεῖν* pro *διδάξαι* posita hanc efferri sententiam existimemus: „nullus locus adsumit me in conscientiam", sive „nullus locus ipse compertum habens me facit conscium" [3]). Consimiliter *γνῶναι* causative dictum „apertum facere" significat apud Pind. Ol. VI, 89, ubi haec leguntur: *ὄτρυνον νῦν ἑταίρους — κελαδῆσαι γνῶναί τ' ἔπειτα κτλ.;* confer medium hujus verbi genus eadem vi usurpatum in Ol. XIII, 3 [4]). Attamen si quis ut tam libere Sophoclem verbo *θεωρεῖν* usum esse credat non adducitur, ei acquiescendum est in sententia eorum, qui vitium in pronomine *ἐμὲν* latere censuerunt; ac potuit vitium inde oriri, quod scriba immemor significationis, quam nonnumquam habet *ὄμμα:* „spectaculum [5]), vocabulum quod pronominis possessivi loco positum invenit, ita mutavit, ut aliud ad notionem oculi aptum poneret [6]). Pro certo in re difficili hoc unum habeo, vocem *θεωρήσασα*

---

1) Lobeck de verbis Graecorum factitivis p. 7.

2) Lobeck Aj. p. 98 adn. 16.

3) Audi Hermannum: *οὐδεὶς τόπος ἐπιστάμενος ποιεῖ με συμμαθεῖν* dicentem.

4) Boeckh Explicatt. ad Pind. vol. II, pars 2, p. 162.

5) cf. p. 28 adn. 1.

6) *τοὔνθα* vel simile quid scriptum esse potuit.

vere a Sophocle scriptam esse. — Verba non pauca intransitiva a Sophocle causativa vi ornari quia constat [1], satis mihi fecisse videbor, si praestantissimorum exemplorum mentionem fecero. *βραδύνω* significat „retardare“ El. 1501. O. C. 1624 [2]. *ἀΐσσειν* transitivam vim accepit in Aj. 40, ubi cum *χέρα* conjunctum admovendi fere notionem habet [3]. *ἀρεσθείη* in Ant. 500 eo sensu dictum, ut „placeret“ possis vertere, recte his defendit Boeckhius [4]: „*ἀρέσκειν* ist bisweilen gefällig machen, also das Passiv gefällig werden“. — Sed quod in Ant. 24 legitur: *χρησθεὶς*, mihi quoque videtur corruptum esse [5]. In frgm. 174 Sophocles verbo *δαιμονίζεσθαι* in eum modum usus esse in Antiatticista dicitur, ut significetur „Deus fieri“: *δεδαιμονισμένον ἀντὶ τοῦ τεθεωμένον*. Vulgaris ejus verbi, quod activo genere usurpatum non invenimus [6], significatio haec videtur esse: „in Dei vel daemonis potestate versari“. Sed cum *ἀνθρωπίζω* sit: „hominis instar agere“, *κυνίζω* „ut canis vivere“, vel, ut Hesychius asseverat „canes imitari“, *βαρβαρίζω* proprie „hominis barbari instar esse“, deinde angustius valens: „barbare loqui“, non dubito, quin *δαιμονίζω* si activum in usu sit, „Dei instar esse“ proprie significet; quod si verum, Sophocles vim intransitivam in transitivam mutasse putandus est, ut activo „Deum aliquem reddere“ et passivo „Deus fieri“ significetur. — *ὁμογενής* in O. R. 1361, quod activo sensu dictum: „simul gignens“ plerique in *ὁμολεχής* mutant, poëtae more defenditur; conferas *ὁμόσπορος* O. R. 260 [7], *γενέτης* filius O. R. 470 [8]. — Vo-

---

1) Matthiae 496, 2.

2) cf. § 1 in fine (*ταχύνω*).

3) cf. ibi Lobeckium.

4) ad Ant. p. 240.

5) Schmidt De Ubertate Sophoclea, pars altera, Strelitziae 1862 p. 3, adn. 3. — *χρησθεὶς* pro *χρησάμενος* dictum censet Boeckhius p. 218. Cf. Struve p. 24.

6) cf. verbum *δαιμονάω*.

7) cf. § 2.

8) cf. § 2. p. 17 sq.

cem ἀγχιστήρ, qua vulgo affinis indicatur, in Trach. 256 active dictam esse, ut is, qui facit, ut aliquid prope adsit, i. e. qui admovet, auctor (sc. mali) intelligatur, recte sensit Seydlerus [1]). — In O. C. 914 quod Meinekius [2]) vocabulum κραίνουσαν, quia perficiendi vim apud Sophoclem non habeat, in κρίνουσαν mutandum esse censet, non reputavit, cum quinquies tantum illud verbum apud Sophoclem legatur, ut quater imperandi sensu dictum sit casu fieri posse; namque ab Homeri temporibus transitive usurpatum notionem perficiendi habet, et simili ratione κρατεῖν cum accusativo conjunctum est in O. R. 1525, ubi scholiasta recte explicat ὅσα νενίκηκας i. e. victoria tibi parasti, es assecutus. Satis mihi videbor de causativo verborum usu dixisse, si de loco Electrae sententiam protulero, qui cum vocabulum contra constantem Graecorum usum sensu causativo dictum contineat, conjecturis faciendis ansam praebuit. Verba quae in El. v. 163 leguntur:

Διὸς εὔφρονι βήματι

si sic a Sophocle scripta sunt, solam in hanc sententiam accipi possunt: „laeta Jovis missione“ (πομπῇ); fieri potuisse, ut poëta vocem βῆμα transitive usurparet, alii negant interque eos homines moderato judicio [3]), alii confirmant, eo argumento nisi quod verbi βαίνω praesens et fu-

---

1) Haec me revocant ad memoriam vocabuli ἀγχίπολις (Ant. 970), quod utrum ἐγχώριος valeat, an pro corrupto habendum sit dubito; namque eum, qui *prope* urbem versetur, urbem tueri vereor ne magis Germanice quam Graece cogitatum sit. — De toto loco cf. G. Curtium „De quibusdam Antigonae locis“ in ind. lectt. Kiel. 1855/6 p. VI sqq. —

2) ad v. 721.

3) Omnes opiniones enumerare quia inutile est, duas tantum conjecturas commemoro: alteram Meinekii λήματι pro βήματι scribi volentis, alteram Hauptii ποδὸς — βήματι proponentis et consilium poëtae fuisse censentis, ut Jovis mentio in versu demum 175 fieret. Novum argumentum, quo corruptelam inesse in versu demonstretur, quamvis egregie invenerit vir doctissimus, non tanti fecerim, ut a lectione tradita recedam. —

turum tempus transitive usurpatur. Nescio equidem an certissimo vocabuli *βῆμα* usui plus quam amori Sophoclis significationum mutandarum, multis exemplis probato tribuendum sit; certe codicum lectionem mutare non ausim; est enim quatenus poëticae licentiae venia dari possit.

Efficiens pro Effecto.

§ 7.

Similiter atque activam verborum, adjectivorum, substantivorum vim passiva, passivam activa a Sophocle saepius et liberius quam ab aliis poëtis — qui et ipsi hac licentia non abstinent — variari multis exemplis comparatis cognovimus, notiones instrumenti, quo quid effici, et rei ipsius, quae eo instrumento effici solet, in una voce conjunctas inveniemus cum apud multos scriptores, tum apud Sophoclem, cujus quam egregius amor novandi sit, illum quoque usum accuratius inquirentibus nobis occasio dabitur, ut observemus atque admiremur. Sed quae modo de instrumentis generaliter dixi, valent in ea tantum, quibus eadem semper res eaque nullo alio instrumento efficitur, praecipue in corporis humani membra, ut *στόμα, γλῶσσα, πούς, ὄμμα.* *στόμα* et *γλῶσσα* saepissime a poëtis tragicis sensu „verborum, sermonis“ usurpari constat [1]) neque est mirum, cum illam metaphoram omnes, quod sciam, populi communem habeant; in memoriam nobis revoco vocabula: *γλῶσσα*, lingua, Zunge, la langue etc. Sic adjectivum *ἄστομος*, quod saepius „parvo ore praeditus“ significat [2]), in frgm. 72 recte a scholiasta explicatur: *ὁ μὴ δυνάμενος λέγειν.* Ad idem translationis genus pertinet, quod liberiore

---

1) Brunck ad Soph. El. 426. Interpretes ad O. C. 131.
2) cf. § 18.

quodam modo semel dictum est a Sophocle in O. C. 240: substantivum αὐδά significans „fama“, bis, quod sciam, ab Euripide [1]), sed ut vox propius absit a prima significatione. — Facere non possum, quin hoc loco, quamquam vereor, ne alieni quid disputationi inferre videar, vocis φθέγμα notabili sensu dictae mentionem habeam; animo enim obversatur locus Antigonae, qui in carmine illo legitur, quo egregio homo ut summum naturae miraculum celebratur, v. 354:

καὶ φθέγμα καὶ ἀνεμόεν [2]) *φρόνημα καὶ ἀστυνόμους*
ὀργὰς ἐδιδάξατο.

Insigne habes exemplum artis Sophocleae, qua significationes verborum paullulum deflectit, cum appareat, vocem φθέγμα, quae vulgo sonos effectos significat, inde ad facultatem sonos jucunde efficiendi sive eloquendi translatam esse, atque item φρόνημα a cogitato ad cogitandi facultatem, vel ad artem cogitatione nova fingendi: id enim homo sibi ipse parasse potest dici; ἀστυνόμους ὀργὰς, quod Seyffertus novo modo, non tamen recte „urbium incolendarum studia“, recte Dindorfius „vitae socialis instituta“, optime Böckhius „staatlenkende Sinn“ explicat, de ea causa poëta inter hominis facultates rettulit, quod Graecorum animi mature ad reipublicae instituta adjecti erant [3]). Jam ut ad consideranda alia corporis humani membra, quibusque facultatibus sint praedita, pergamus, vocabulum ὄμμα, ut quo instrumento actio videndi fiat, notione „adspectus et spectaculi“ ornari jam supra obiter commemoratum est, nunc exemplis tantum restat ut comprobetur. In

---

[1]) Afferuntur duo illi loci in lexicis. Quodammodo comparari potest nostrum „gerade“.

[2]) De acjectivo ἀνεμόεν ut paucis dicam, quid sentiam, id mihi ad genus eorum, quae epitheta ornantia nominantur, videtur pertinere, ut nihil significetur, quam quod in natura substantivi sit positum, ut πῦρ θερμὸν et similia. – Comparari fortasse potest ἀνεμόεν φρόνημα cum notissimo illo Homerico ἔπεα πτερόεντα.

[3]) cf. Egregium illud Aristotelis: polit. I, 2 p. 3, 16 (Bekk.): ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον.

Phil. 171: μηδὲ σύντροφον ὄμμ' ἔχων significat: „ne adspectum quidem hominis vicini habens." In Aj. 1004 ὄμμα eodem sensu dici, neque Ajacem ipsum „oculum" nominari [1]) inde colligitur, quod adjectivum δυσθέατον ad notionem oculi non aptum est, sed cum substantivo, cui notio spectaculi est, conjunctum oxymori, quam dicunt, figuram apud poëtas tragicos usitatissimam efficit. — Audacter Sophocles vocabulo ὄμμα in El. 905 usus est, ubi haec leguntur:

ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ σύνηθες ὄμμα.

Hermannus conjectura, quam ad Eur. Hec. 433 proposuerat: ὄνομα, rejecta in adnotatione ad Electrae versum non multum recedit a scholiastae opinione haec adscribentis:

ὅραμα ὃ ἀεὶ ἐφανταζόμην κατὰ ψυχήν [2]).

Schneidewinus conferri jubet Aesch. Choëph. 238, ubi tamen Valckenarius [3]) ὄνομα scribendum esse putans Porsonum [4]) quidem contradicentem et ὄμμα defendentem, Hermannum autem et Dindorfium (et jure opinor) consentientes habet: aliter etiam comparatus est Philoctetae de quo nuper dixi versus (171), quia in Electrae versu species, quae adumbrata animo obversatur, notione „adspectus", ut ita dicam, a corpore ad animum translata intelligenda est, similiter ac nostra nos lingua „Gesicht" utroque modo dicimus. — Huic loco adjungatur Oed. Regis v. 533, ubi πρόσωπον „de eo dicitur, quod quis vultu prae se fert" [5]):

ἦ τοσόνδ' ἔχεις τόλμης πρόσωπον, ὥστε —

Confer nostrum: „Hast du die Stirn?" deinde v. 448:

οὐ τὸ σὸν δείσας πρόσωπον,

denique Phil. 110:

πῶς οὖν βλέπειν τις ταῦτα τολμήσει λαλεῖν.

---

1) ut v. 977:
ὦ φίλτατ' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί.

2) cf. Reisig. ad Oed. Col. 1080.

3) ad Eur. Phoen. 415.

4) ad Orest. 1080.

5) Hermanni verba, quibus optime explicatur locus.

Non incommemoratum reliquerim hac data occasione, quemadmodum *ὀφθαλμός*, *ὄμμα* saepe de personis, quae alicui carae sunt [1]), rarius de rebus gratis [2]) usurpentur, sic in O. R. 987: *καὶ μὴν μέγας γ' ὀφθαλμὸς οἱ πατρὸς τάφοι* legi, ita autem verbis comparatis, ut quid simile conferas vix habeas; proxime ad verborum Sophocleorum colorem accedit illud Euripidis (in Androm. 406):

εις παῖς ὅδ' ἦν μοι λοιπὸς ὀφθαλμὸς βίου;

nisi quod Euripides vocabulum *ὀφθαλμός* de persona, Sophocles de re usurpavit.

Ut *ὄμμα* pro *ὅραμα*, sic *πούς* pro *βάσις* dicitur; velut in Phil. 91: *ἐξ ἑνὸς ποδὸς*, quibus verbis simplex numeri notio amplificatur [3]); de voce *ἀρτίπους*, quae ad verbum *θρώσκει* addita in Trach. 58 legitur, duae exstant explicationes, altera scholiastae: *ὅ ἐστιν ἀρτίως καὶ ἡρμοσμένως τῷ καιρῷ πορεύεται* adscribentis ad sensum quidem apta, nec tamen exemplis comprobata, altera Schneidewini: „graden munteren Schrittes" non accurate dicentis, quam quidem in locum non quadrare non recte censet Dindorfius, cum ad verbum *θρώσκω* notio celeritatis valde apta sit [4]). Sed haec hactenus.

§. 8.

Similis translatio fit, si notio alicujus actionis ad id quod certa quadam lege illa actione paratur, et vice versa si notio alicujus rei ad actionem, a qua res efficitur, transfertur. Primo loco commemorandus est versus Philoctetae 29:

καὶ στίβου οὐδ' οὐδεις κτύπος.

Hanc lectionem praebent Laurentianus A ceterique codices omnes uno excepto apographo, in quo *τύπος* pro *κτύπος* legitur. Duarum significationum, quas vocabulum *στί-*

---

1) cf. A. Mueller. ad Aristoph. Ach. 92.
2) Böckh explicatt. ad Pind. II, 2 p. 123.
3) cf. §. 18.
4) cf. Il. IX, 505. Od. VIII, 309.

βος habet: „vestigium“ et „via“, in lexicis alteram, quae est „via“, non recte ut priorem afferri, sed propriam esse: „vestigium“ quod dicit Bonitzius [1]), eam rem recte mihi videtur perspexisse; in ceteris ab eo dissentio. — Schneidewini quidem ex adnotatione, qua *στίβος* etiam „incessus“ significare tantum contendit, quamvis recte contenderit, fructum capere non possumus. Wunderus [2]) saepius id quod actione efficiatur et actionem ipsam mutari exponens exemplum affert *τρίβος*, quod a *τρίβω* ductum, ut *στίβος* a *στείβω*, et actionem radendi et quod rasum vel tritum est significat. Comparare potuit etiam substantivum *ὁλκός* quod (a *ἕλκω* ductum) sulcum et actionem trahendi significat. Quid? quod Latinorum „sulcus“ apud posterioris aetatis scriptores arationis vim accepit. — Porro cum adjectiva, qualia sunt *μονοστιβής* — (cf. Aesch. Choeph. 768: *εἰ ξὺν λοχίταις εἴτε καὶ μονοστιβῆ* —), *χθονοστιβής* (O R. 301), *ἀποστιβής*, (frgm. 511) alia incedendi notionem prae se ferant, et multis aliter formatis substantivis mutari duas illas significationes ostendatur [3]), et vocabulum *ἴχνος* in Eur. Bach. 1134 pedem significet, tantum abest, ut in *στίβος* notionem incedendi non inesse Bonitzio concedam, ut quomodo de ea re quisquam possit dubitare vix intellegam. — Jam quod ad sententiam, quae loco Philoctetae effertur, attinet, ex eis quae sequuntur colligitur, Neoptolemum his verbis *κ. στ. οὐδ. κτ.* se sonum hominis non audire in antro sese moventis dicere; contra plerosque editores secuti si *τύπος* receperimus, sententia nascetur, quae non nihil habeat absurdi, quia cum *οὐδεὶς τύπος στίβου* Neoptolemus diceret, diceret quod vix posset verum esse. Tum igitur refugiendum erit ad conjecturam, quam quidem ingeniose invenit Bergkius: *οὔδει τύπος*. Verum si tamen haec essent verba Neoptolemi, absurde responderet Ulixes:

ὅρα καθ᾽ ὕπνον μὴ καταυλισθεὶς κυρῇ.

---

1) B. d. k. A. p. 403.
2) Adversaria in Phil. p. 48 et p. 57 sqq.
3) Ut exemplum afferam: *σπέρμα* „satio“ et „semen“ significat.

Subsistendum igitur est in lectione codicis Laurentiani. Bonitzius cum disputatione locos quosdam complexus sit, quibus *στίβος* „incessus" significare fuerunt qui putarent, ut rem absolvamus, de eis quoque videndum nobis est. Pimus eorum legitur in Phil. 206:

φθογγά του στίβου κατ' ἀνάγκαν ἕρποντος,

quae verba Wunderus [1]) vertit: „strepitus gressus cujusdam aegre repentis", Bonitzius: „der Laut eines mühsam schleichenden Schrittes." Neque *στίβος ἕρπων* posse dici, neque construatur licere [2]): *τινὸς ἕρποντος κατ' ἀναγκὰν τοῦ στίβου*, quia verbis sic contructis *στίβου* abundet, postquam — ex mea quoque sententia rectissime — exposuit Bonitzius, persuasit sibi nil restare, quam ut quod apographa nonnulla praeberent *στίβον* scriberetur. (*ἕρποντος στίβον* tum est: viam incedentis, *κατ' ἀναγκὰν* aegre cf. v. 291. 215: *ὑπ' ἀνάγκας*). At cur non recte vertit verba sanissima? Verum enim vero genetivi *τινὸς* et *ἕρποντος* pendent a genetivo *στίβου:* „sonus incessus cujusdam aegre repentis"; quae sententia nescio an in Wunderi quoque verbis supra allatis lateat. Non offendendum est in pronomine *του* ante *στίβου* posito, cum ad utrumque verbum *στίβος* et *ἕρπων* aptum sit et fortasse etiam ad utrumque pertineat, et cum apud Sophoclem verborum collocatio haud raro ea sit, ut constructio vix dignoscatur, velut in secundo Ajacis versu. Quae cum ita sint, dummodo *στίβος* vim incedendi habere constet, etiam hoc loco conjectura non opus est. — Deinde in Phil. v. 157:

τίς τόπος ἢ τίς ἕδρα, τίν' ἔχει στίβον κτλ.

non puto — quae est Bonitzii sententia — notionem viae voci *στίβος* subjectam esse; nam quid sibi vult *στίβος ἔναυλος* „via quae est in antro"? Denique de v. 163: *στίβον ὀγμεύει* recte statuit vir doctissimus: vestigium comparari cum sulco [3]).

---

1) Adv. p. 58.

2) haec Hermanni et Dindorfii fuit sententia.

3) Bonitz Z. f. ö. G. 1856 p. 279.

Nunc afferam alia nonnulla quae ad idem genus translationis spectant exempla. In O. C. 9 quod ex Seydleri emendatione scribitur vocabulum *θάκησις* sedem significat [1]); confer Phil. 19: *ἡλίου διπλῆ πάρεστιν ἐνθάκησις* et a Meinekio comparatum frgm. 86:

τυραννίδος θάκησιν αἰσχίστην ἕδραν [2]).

Res eo confirmatur, quod complura substantiva in *σις* desinentia locum, ad quem actio verbi referenda est, significant, ut *οἴκησις* „domus" [3]), *στάσις* „statio" (cf. Latinorum verba in io desinentia). Vice versa voci *ἕδρα* notio actionis sedendi subjecta est in Aj. 811: *ἕδρας ἀκμή*; quin immo in v. 814 significatio vocabuli *ἔργον* prope accedit ad actionis vim [4]), de qua sola *τάχος* dici potest. — In O. R. 560 voce *χείρωμα* pro *χείρωσις* usus est poëta. — Paulo aliter comparatum est, quod in Trach. 693 legitur: *φάτις* rem, *de qua* dicitur, indicans [5]), verbis *φάτιν ἄφραστον* aequantibus formulam Latinam „incredibile dictu"; ita autem copulatis, ut figura oxymori quae dicitur valeat. — In Aj. 919 *πληγή* significat quod ictu efficitur, i. e. vulnus [6]). Paulo copiosius necesse est ut dicamus de voce *ἄμυγμα*, quam conjectura nisi fallor certissima Bothius in Ajacis v. 634 intulit pro ea, quae in codicibus traditur: *ἀμύγματα*. Plura enim sunt, quae in ea voce offendant, primum

---

1) cf. praef. p. 7.

2) Sic verba leguntur ex Vateri conjectura, quam probo. conf. Meineke p. 134.

3) Fere insolenter dixit poëta in Phil. 534: *ἴωμεν, ὦ παῖ, προσκύσαντες τὴν ἔσω ἄοικον εἰσοίκησιν* (verbum a Sophocle fictum). Nauckius krit. Anh. p. 274 offendit in verbis *τὴν ἔσω* immemor ubertatis tragici sermonis. Schmidt de ubert. or. Soph. II p. 10. Fortasse autem verbis *τὴν ἔσω εἰσοίκησιν* antrum opponitur locis apertis, ut quae Philocteta acerbe domum dicat.

4) Vocabulum *ἔργον* ut saepissime voci *λόγος* oppositum poëta — quo est novandi studio — cum ejusmodi verbis conjunxit, ut alieno quodam colore ornetur.

5) Wunderus similem verborum *λόγος* et *ἔπος* usum comparat.

6) *μελανθὲν* ibi pro *μελὰν* positum esse pro certo habeo, ut vice versa *μόνος* pro *μονωθείς* usurpari supra vidimus.

quod verbi ἀμύσσω cum νύσσω conjuncti notio, quae est radendi [1]) itaque ad lacerata pectora quadrat — cf. Il. 19, 285:

χερσὶ δ' ἄμυσσεν
στήθεά τ' ἠδ' ἁπαλὴν δείρην ἰδὲ καλὰ πρόσωπα —

neque vero ad crines, hoc loco ad discerpendi vim translata est; id quod quin Sophocles ausus sit, non quidem dubito, praecipue cum similis sit usus verbi καταξαίνω in Eur. Jone 1267:

ἵν' αὐτῆς τοὺς ἀκηράτους πλόκους
κόμης καταξήνωσι Παρνασοῦ πλάκες [2]);

accedit autem altera difficultas, propter quam loci illius hic mentionem feci, quod vocabulum ἄμυγμα, si vellendi vim habet, „vulsum„ sive „crinem vulsum“ significat; verbo sic explicato cum difficultates, quibus premitur locus, augeantur [3]), persuasum mihi est, voce ἄμυγμα actionem laniandi indicari; tum ex verbo πεσοῦνται ad alteram enuntiati partem verbum generale ἔσται supplendum est. Quae si recte disputavi, nihil difficultatis remanet. — Ad extremum commemoro, cum in Phil. 691 (saepius apud inferioris aetatis scriptores) βάσις pedem significet, instrumentum, quo actio fit, cum actione mutari, ac verba οὐκ ἔχων βάσιν ex analogia adjectivi ἄπους superlatione quadam dicta esse [4]).

§ 9.

Transeamus ad alia, quae generi translationis, in quo considerando versamur, supponenda sunt; ac primum quidem de eo dicamus usu, quo notissimo notiones arborum et fructuum, quos illae ferunt, mutantur! — Sic

---

1) G. Curtius, Grundzüge der griech. Etymologie II, p. 123.

2) Lobeckius verbum Latinum „laniare“, quod sic usurpatur, comparat.

3) Ne longus sim, aliorum sententias silentio praetermitto; sufficit de eis inspexisse Seyfferti adnotationem.

4) cf. §. 17.

in frgm. 183 ἐρινός quamquam nonnisi alia forma vocis ἐρινέος „caprificus" est, eandem vim, quam vulgo ἐρινὸν habet (fructus), ascivit [1]). — In frgm. 956 λίβανος „turis arbor" pro λιβανωτός „tus" usurpatum habes [2]), et in frgm. 419: adjectivum ἐλαιήεις, cujus propria vis est: „quod ad olivum (arborem) pertinet", vel „olivis vestitus", hoc sensu: „oleosus" dictum ex analogia substantivi ἐλαία tam arborem quam fructum significantis. Comparari quodammodo cum his exemplis potest μύξα (pituita) in frgm. 87, 3 [3]) pro μυκτήρ (nares) dictum, quia quaedam pituita in naribus animalium oritur. — Ab usu notiones arborum et fructuum in una voce conjungendi levi tantum discrimine differt substantivum μέλισσα sensu „mellis" usurpatum in O. C. 481, ubi notanda est vera scholiastae explicatio: ἀπὸ γὰρ τοῦ ποιοῦντος τὸ ποιουμένον, ejusdem alium Sophoclis versum [4]) nobis nusquam servatum afferentis [5]). Schneidewinus bene comparat χελώνη „testudinis putamen" et „testudo" (apud Philonem), σαρδώ „gemma" (apud Philostratum imagg. p. 770; aliis locis nomen proprium est), ἐλέφας „elephas" (i. e. „Elephant") apud primum Herodotum significans. — Haec translatio ea re explicatur, quod arborum illarum soli fructus apud homines in pretio sunt, horum animalium tantum quod ex corporis parte sumptum in humanos usus cogitur.

Efficiens pro effecto significari verbo αἴγλη in O. R. 207 sensu facis usurpato [6]) et vocabulo βέλη, quod in Phil. 198, ut ex verbo τεῖναι colligi potest [7]), „arcus" significat, libenter concedes.

---

1) Verborum sententia haec est: „ipse insipiens alios sermone tuo sapientes reddere studes."

2) Lobeck. ad Phrynichum p. 187.

3) Pollux II, 72.

4) frgm. 160.

5) Reisig initio enarrat. in O. C.

6) cf. Spannhemium ad Callimachi hymnum in Dianam v. 11.

7) Non sufficit dixisse, poëtam „sagittas tendere" posuisse pro

Notiones efficientis et effecti, porro effectionis (venia sit verbo, quo actionem, qua quid efficitur, intelligi velim) et effecti [1]) inter se mutari cum viderimus, restat ut, quae tertia est, rationem effectionem ad efficiens transferendi attingamus. — Ut notissima in mentem nobis revocem: *λόχος* significat: 1. locum insidiarum. 2. insidias parandi actionem [2]). 3. homines qui subsistunt in insidiis; *φυγή* pro *φυγάδες* ponitur [3]). Sophoclea exempla haec praesto sunt: in O. C. 1070: *πᾶσα ἄμβασις* pro *πάντες ἀναβάται* dictum [4]), in frgm. 794 *ἄλη* pro *οἱ ἀλώμενοι*, in Trach. 964: *ξένων ἐξομίλος ἥδε βάσις* pro *ἄνδρες ξένοι βαδίζοντες* [5]). —

Quoniam vocabulorum ab actione aliqua ad locum, quo actio fit, translatorum mentionem inchoaverim, rei accommodatum habeo, quibus exemplis Sophoclis in hujus quoque translationis usu licentia quanta sit comprobetur, ea nunc commemorari. Egregium exemplum, quod in O. C. v. 362 reperitur:

ζητοῦσα τὴν σὴν ποῖ κατοικοίης τροφὴν

cum plerosque editores fugisset scholiastae explicationem, quae est: *δίαιτα*, probantes, Schneidewinus „sedem, domicilium" intelligi voluit, quod quam fecerit recte ex verbis *ποῦ κατοικοίης* perspicue cognoscitur. Notus est similis substantivi *διατριβή* usus, quod locum ubi homines versantur, deinde praecipue eum, quo philosophi cum discipulis docendi causa ambulant [6]), significat; conferas quoque *ἐπι-*

„arcum tendere." Nam quid sibi vult illud: sagittas tendere? Ceterum vide exempla a Dindorfio allata.

1) cf. §. 8 in fine.

2) In O. C. 1089 ita usurpatur, ut impetum significet.

3) Krueger ad Thuc. VIII, 64, 2.

4) Transfertur vox *ἄμβασις* etiam ad locum, ut *βάσις*. — Lobeck ad Aj. 1090.

5) Meinekius p. 303 *στάσις* scribi vult, quia v. 967 idem vocabulum *βάσις* legitur. *στάσις* saepe pro *οἱ ἱστάμενοι* usurpatur. cf. Schol. ad Ar. Ranae 359.

6) Plat. Leges VI, 760 E.

στροφαί „agri pascui“ Aristoph. Ran. 1383 et Hesych. s. v., et *λαβή*, qua voce „manus porrigendi actio“ et „capulus“ indicatur. — Effecti notio transit in loci ubi efficitur notionem in vocabulo *παίδευμα*, cui in frgm. 736, 3 vis scholae subjecta est [1]). Eodem fere modo, nisi forte audaciore Thucydides initio cap. 41 libri II dicit: *τήν τε πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν εἶναι* [2]). Omnino Graeci certa loca non propriis vocabulis designant, sed fora plurali numero substantivorum, quibus res vendendae significantur; ut *ἰχθῦς* „forum piscatorium“, *βίβλια* „forum librarium“, *ὄρνεα* „forum aviarium“ (venia sit verbo) significant; neque aliter comparatum est *ταφαί* locum funeribus destinatum indicans in Aristoph. Ran. 423.

§. 10.

A proposito paulum digressus ut redeam, notiones efficientis et effecti, quas mutari in vocibus, quarum potestas in externas res valet, ostendimus, si rerum, quae sensibus non percipiuntur, rationem habeamus, notionibus causae et effectus respondent; eaeque quoties a Sophocle varientur, jam sum persecuturus. In El. 236 *κακότης* idem fere significat quod *τὰ κακά*. cf. Hesiod. Op. et D. 93. Her. II, 128. Soph. O. C. 521 [3]). — *νεῖκος* in O. R. 702 causam rixae indicat [4]), ut apud Aeschylum in Ag. 1101: *τί τόδε νέον ἄχος μέγα* vocabulum *ἄχος* rem, quae moerore

---

1) Hoc in causa fuit cur Nauckius (De tragicorum Gr. fragmentis observationes criticae in Jahresber. über das königl. Joachimthalsche Gymnasium, Berolini 1855 p. 33) fragmentum Sophocli adjudicaret. Ceteris quoque, quibus ille nititur argumentis, auctorem ad praecipiendi rationem delabi dicens et quemque versum 12 syllabis formari, non adducor, ut fragmentum non Sophoclis esse existimem.

2) cf. Kruegeri adnotat. et Sauppium ad ibi commemoratum Protagorae locum.

3) Exempla a Hauptio collata.

4) Propter constructionem cf. Phil. 328.

animum implet. Similiter in O. R. 834: ὀκνηρός „dubitationem injiciens“ (pro „dubitans“) significat, Hesychius in frgm. 107: ἀραίας: βλαβεράς affert.

Quae in Ant. 1071 leguntur:

ἄμοιρον, ἀκτέριστον, ἀνόσιον νέκυν

eis cadaver insepultum intellegi cum luce sit clarius, adjectivi ἀνόσιος, quod Hesychius ἄταφος explicat, melius scholiasta: μὴ τύχοντα τῶν ὁσίων νῦν, vim ita mutatam esse a poëta, ut cadaver, quod, quia non ὅσιον est, non sepelitur, significetur, quivis facile intellegat; conf. ὁσιοῦν τινα τῇ γῇ Philostrat. her. p. 714, ἀνόσιον ὀσμὴν [1]) Ant. 1083 [2]). — Adjectivum ἀσύμβλητος a propria vi, quae est: „incomparabilis“, cum σύμβλητος „comparabilis“ significet, in Trach. 694 ad id quod intelligi nequit translatum ea re enucleatur, quod res, quacum non habemus quod comparetur, qualis sit, cognosci non potest; cognoscimus enim ignota cum notis comparantes. Sic Aeschylus id quod facile intelligitur εὐσύμβλητον dicit in Prom. 775 [3]). In Aj. 1358: ἔμπληκτος i. e. „mutabilis, inconstans“ eos significat, quorum quovis impulsu mutantur consilia [4]).

Qua vice „causae et effectus“ notiones, eadem „culpae et poenae“ inter se permutantur, ut in El. 1102 vocem ἀζήμιος (ὁ φράσας) significare „culpa vacat, abest a culpa“ non sit quod miremur; nec magis mirum, vice versa in El. 626 θράσος vim poenae propter audaciam solvendae accepisse. — Siquidem crimen pravitatis pro quadam poena, et laus virtutis pro praemio haberi possit, notionem culpae in poenae et virtutis in praemii transire his quoque exemplis comprobatur: εὐσέβεια et δυσσέβεια laus pietatis et crimen impietatis [5]), κακία crimen pravitatis O. R.

---

[1]) cf. Böckhium p. 278 de voce καθαγίζω disputantem.
[2]) Jure fortasse Wunderus versus 1080—83 uncis inclusit.
[3]) cf. ibi Blomfieldium.
[4]) Hesych.: εὐμετάβολοι.
[5]) G. Wolff. ad El. 626.

512, ἀρετή laus virtutis Eur. Hel. 1151. Pind Isthm. II, 44 [1]), κάλλος laus pulchritudinis et quae sunt similia [2]).

Paulo aliter quamvis comparatum sit, cum notio culpae notione supplicandi varietur, tamen ut quanta Aeschyli quoque in mutandis vocabulorum significationibus sit audacia, appareat, commemoraverim, προστρόπαιος apud Aeschylum sceleratum significare, de qua re optime disseruit Hermannus, his usus verbis [3]): „Est autem affinitas quaedam vocabulorum scelere contaminatos significantium et eos qui ob hanc causam supplices ad templa Deorum accedunt." Adde quod multa adjectiva vim accipiunt merendi id, quod proprie significant, ut voce πανώλης is quoque indicatur, qui perniciem meretur: El. 544. O. C. 1264. Phil. 1357. Eur. El. 60. Consimiliter in El. 1081 εὔπατρις, quod a πατρίς ductum bene de patria sentientem significare false existimat Passovius, recte Dindorfius vertit: „optimo patre nata, nobili patre digna", propterea eo sensu usurpavit poëta, quod a bono patre bonum, malum a malo oriri Graecorum erat sententia [4]). — In frgm. 392 vocabulum ἐπίκοτα ab Hesychio ἐπίμομφα, ἃ πᾶς ἂν τις μέμψαιτο explicatum cum proprie sit „iracunda", et si passive usurpetur, rem cui quis irascitur significare soleat, inde translatum, quia vituperare nihil est nisi eloqui se irasci, rei vituperandae vim accepit.

Denique pro effecto facultas efficiendi nonnullis designatur vocabulis, velut voce ἅλωσις expugnandi facultas Phil. 61 [5]); quas duas notiones ex usu Graecorum esse conjunctissimas cum ex aliis rebus, tum ex duplici adjectivorum verbalium in τος desinentium vi intelligitur [6]). Vice

---

1) Krueger. ad Thuc. I, 123, 1.

2) Bernhardy, wissenschaftl. Syntax p. 56.

3) ad Eum. 95 p. 584.

4) Valckenar. in Diatr. p. 148. 168. Soph. Ant. 38. Eur. frgm. 234. 166, ubi haec leguntur: φιλεῖ γὰρ οὕτως ἐκ κακῶν εἶναι κακούς.

5) Krueger ad Thuc. I, 52, 2.

6) Krueger, gr. Gr. 41, 11, 25.

versa vocabuli *πλοῦς* notio in Phil. 1430 ab opportunitate navigandi ad ipsum ventum transfertur. His adde locum Electrae v. 451, ubi adjectivum *ἀλιπαρῆ* a Schaefero [1]) in suspicionem corrupti vocatum, ab Ellendtio defensum, postea a Schneidewino et G. Wolffio in *λιπαρῆ* mutatum, a solo Hermanno recte explicatum est vertente: „coma ad supplicationem non accommodata." Nam quemadmodum *λιπαρεῖν* „supplicare" significat et *λιπαρής* „supplicans", sic *ἀλιπαρής* cum proprie sit: „non supplicans", per translationem eum vel id significat, quod non aptum est ad supplicandum, paulo aliter comparatum atque quod supra commemoravimus: *προστρόπαιος*.

§. 11.

Jam ad aliud vocabulorum significationes mutandi genus transituri in usum inquiramus, ex quo verba eam vim accipiunt, ut faciendo id quod proprie significant, vel eo modo quem indicant efficere aliquid significent; ac primum quidem, si objectum *ἔπος* vel simile additur, propria verborum vi tantum ratio dicendi notatur. Notissima sunt haec: *κλέπτειν λόγον* vel *μῦθον*. Trach. 437 (Phil. 57). Aj. 189. El. 56 etc. [2]), *ἐξυβρίζειν* superbe loqui El. 293, *κομπεῖν* gloriose narrare vel dicere O. C. 1149. Aj. 770 Similiter in Aj. 1108 legitur:

καὶ τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους,

quae verba recte a glossatore explicantur: *κολάζων ἐκείνους λέγε τὰ σεμνὰ ἔπη*, ea tamen conditione, ut verba *κολάζειν ἔπη* quasi in unum verbum conflata, quod fere vituperandi notionem accipiat, accusativum *ἐκείνους* regere putentur; quae non est Lobeckii sententia haec adnotantis: „communis sermo verbis laudandi et vituperandi adjungit accusativum nominis neutrius." — In Aj. 1096: *ἁμαρτάνω*

---

1) melet. crit. p. 129.

2) Stallb. ad Plat. Respubl. I, 334 A. cf. frgm. 623, ubi Hesychius ex Sophocle affert: *ἄκλεπτοι: οὐ παραλογιζόμενοι, ἀληθεῖς*.

ἔπη est fere quod nos dicimus: „die Rede ist verfehlt". His adnumera verba a notione strepitus faciendi ad dicendi rationem indicandam translata, velut ἀράσσω, quod substantivo ὀνείδεσιν addito „strepitu quodam loqui, crepare" significat in Aj. 725; conferas: Phil. 374. Aristoph. Nub. 1373, θόρυβοι tumultuantium clamores El. 142 (cf. 164), ψόφος vociferatio 1116, deinde verbum ῥοθέω cum compositis transitive et intransitive usurpatum dicendi rationem indicat; cf. Ant. 259:

λόγοι δ' ἐν ἀλλήλοισιν ἐρρόθουν κακοί [1])

v. 290: ταῦτα — ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί, i. e. commurmurantes dixerunt [2]); Aesch. Choeph. 458:

στάσις [3]) δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιρροθεῖ.

(Trach. 264). Ant. 413: ἐπίρροθα κακά (convicia) [4]). frgm. 521: ἐπίρροθα i. e. vituperata. Neque aliter comparata sunt verba κακορροθεῖν [5]) et ὁμορροθεῖν, quod alterum in Ant. 536 [6]) et frgm. 446, 1 legitur. — Quoniam horum exemplorum mentionem fecerim, eo perducor, ut quemadmodum in multis linguis notiones jaciendi, trudendi, aliae dicendi rationi indicandae sint, sic a Graecis verbum βάλλειν ejusque similia usurpari, saepissime et liberrime a Sophocle nunc commemorem, quamvis eam metaphoram a promovendi specie sumptam nonnihil ab eo, quod nos occupat, translationis genere discrepare haud ignorem. — In Aj. 188 ubi haec leguntur:

εἰ δ' ὑποβαλλόμενοι κλέπτουσι μύθους

ad vocem ὑποβαλλόμενοι recte scholiastam adnotare ὑπο-

---

1) sonum auribus ingratum indicari, jam ex verbo κακοί patet. cf. G. Wolff p. 132.

2) Schndw. explicat: τοῦτον τὸν ῥόθον (ταῦτα) ἐρρόθουν in hunc modum strepebant. cf. Lobeck, paralipp. Gramm. Gr. p. 512. 13. — G. Wolff bene comparat: Eur. Androm. 1096.

3) cf. p. 41 nota 5.

4) cf. §. 9.

5) cf. A. Mueller. ad Ar. Ach. 106.

6) Meinekius, Beiträge z. ph. Kr. d. A. p. 13 ὁμορροθεῖν idem fere esse quod ὁμολογεῖν recte, nisi fallor, statuit.

σπείραντες nemo negabit, qui praeter aliā *διαβάλλειν* „calumniari“ significare meminerit; praepositio autem *ὑπὸ* vim *clam* (sparsi) mihi videtur habere, quam in voce quoque *ὑπείποις* in v. 213 valere Hermanno quidem et Dindorfio „dicendo suggeras“ explicantibus ego censeo, persuasum habens, chorum a Tecmessa, ut clam aliis atque ipso fortasse Ajace ei rem aperiat, petere. — Quod in Aj. 1323 *συμβάλλειν ἔπη* sensu respondendi dictum est, causa metaphorae inde est petenda, quod qui ad convicia respondet altercari incipit; *συμβάλλειν* enim ut Latinorum „committere“ de manibus cum aliquo conserendis usurpatur. — Cum *σπείρειν ἔπη* poëtis Graecis tam sit usitatum, quam Latinis „spargere voces“ — cf. El. 642. Verg. Aen. II, 98 — nulla fere opera enodantur, quae licenter Sophocles dixit in frgm. 587:

μὴ σπεῖρε πολλοῖς τὸν παρόντα δαίμονα·

i. e. ne in multos profer malum quo premeris [1]). cf. Hor. sat. II, 5, 103: „sparge subinde“, quod Acron explicat: „frequenter, passim dicito.“ — Licentia quaedam poëtica cernitur etiam in conjunctis verbis *ἀναλίσκειν λόγους*. Soph. Aj. 1049. Eur. Med. 325. Aristoph. Lysistr. 468. — His subjunge quod in frgm. 632 legitur: *μέλη ῥακτήρια* a Hesychio his explicatum verbis: *ἀντὶ τοῦ ψοφώδη καὶ θορυβώδη* [2]).

Miramur non nihil ea quae in Aj. 1227 legimus:

σὲ δὴ τὰ δεινὰ ῥήματ᾽ ἀγγέλλουσί μοι
τλῆναι καθ᾽ ἡμῶν ὧδ᾽ ἀνοιμωκτὶ χανεῖν·

cum *ῥήματα χανεῖν* dictum sit pro *στόμα χανόντα ῥήματα λέξαι*, sed cogitantibus nobis a verbo cum accusativo objecti conjuncto alterum saepe pendere accusativum, ac deinde frequentissimam apud Graecos esse ellipsin accusativi

---

1) De dativo Valckenar. ad Her. IX, 16 p. 1060 comparari jubet Ellendtius.

2) Ducitur enim adjectivum *ῥακτήριος* a verbo *ῥάσσω*, in quo feriendi notio inest.

objecti [1]) hoc quoque exemplum facile expedietur; cujus ad similitudinem reddi possunt haec quae ex Sophocle sumpta praesto sunt exempla: Trach. 323: διοίσει γλῶσσαν, quae verba intelligenda esse: „labris apertis vocem [2]) emittet", quamquam διαφέρειν vim aperiendi habere exemplis confirmare nunc non possum, facile mihi persuadeo [3]); deinde Ant. 675 καταῤῥήγνυσι τροπὰς, quae recte vertit Wunderus: „fugam rumpendo (sc. ordines) efficit", Böckhio non hostium, sed civium ipsorum fugam a poëta dici addente.

Magna est Sophoclis audacia in Ant. 1103:

συντέμνουσι γὰρ
θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι·

ita dicentis, ut cum συντέμνειν ὁδὸν „praecidere viam" significet [4]), et si nude positum verbum inveniatur, notio ὁδὸς audiatur; [cujus rei exemplum habes apud Herod. VII, 123: συντάμνων (sc. τὴν ὁδὸν) ἀπ' Ἀμπέλου ἄκρης ἐπὶ Καναστραῖον ἄκρην], haec sententia designetur: via praecisa nefarios adsequuntur. — Simili ratione enodantur verba: ψυχὴν τάδ' ἐκτείνουσαν (O. C. 499), quae ab omnibus fere editoribus nodum in scirpo quaerentibus in ψ. τ. ἐκτίνουσαν mutata defendit solus Doederlinus [5]) ea praegnanter pro his: τάσδε λιτὰς μετ' ἐκτάσεως χειρῶν εὐχομένην dicta esse recte censens. Conferas propter hunc usum vocabulum ἀντιάζειν semel ab Aeschylo, saepius a Sophocle [6]) et Euripide, sed non nisi a poëtis tragicis [7]) sensu precandi,

---

1) Bonitz, B. d. k. A. p. 428. 9. cf. §. 27 ad Phil. 1120.

2) γλῶσσα „vox" cf. §. 7.

3) Wunderus emendatt. in Trach. p. 25. 26 conjecturam, quam primus Wakefieldius proposuit: θιήσει laudat. Nauckio interpolator ex uno duos versus videtur fecisse.

4) Similis est usus verborum συντέλλειν et συνελεῖν (Passov.). Her. V, 41: τοῦ χρόνου συντάμνοντος, i. e. tempore appropinquante; IX, 89: simplex τάμνειν significat „carpere".

5) Homer. Glossar. §. 19, nota 19.

6) Ut exemplum afferam, in El. 1009.

7) Doederl. lectt. Homer. spec. III. lect. 7.

i. e. precibus aliquem adeundi usurpatum, porro haec: *σαυτοῦ πρόστροπον* Phil. 773, *ἥ σε πολλὰ δὴ λιπαρεῖ προὔστην χερὶ* El. 1378 i. e. quae saepe te precatus sum [1]), *τὸν φθόνον δὲ πρόσκυσον* i. e. venerando averte, vel ut scholiasta explicat: *ἱλάσκου τὸν φθόνον* [2]).

Considerantibus nobis usum, ex quo verba nonnulla ita transferuntur, ut rationem dicendi significent, non verendum est, quin a via declinemus, si verba ferendi et portandi metaphora omnibus, ut videtur, populis communi vim nuntiandi accipere commemoremus; *φέρειν* saepissime, dummodo nuntiaturo iter faciendum sit, nuntiandi notionem habere constat [3]); eandem accepit in El. 670 verbum *πορσύνω*, quod cum vulgo „praebere" significet, in vim „per nuntium praebendi", i. e. „nuntiandi" abiit; consimiliter verbo *παραφέρω* in O. C. 1675 notio narrandi subjicitur, ut in versu quoque Euripidis Iph. Aul. 981 [4]), et *ἐπιστολή* tam epistolam quam mandatum significat, cf. Aj. 781:

πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολὰς
Τεῦκρος φυλάσσειν;

quorum verborum sententia haec est: „mittit me qui ut tibi nuntiem haec mandata curem Teucer"; et O. C. 1601:

τάσδ' ἐπιστολὰς πόρευσαν.

Denique admodum poëtice in El. 873 poëta dixit:

φέρω γὰρ ἡδονάς τε κἀνάπαυλαν,

sed ut quanam ratione propria significatio in novam transierit, perspicue cognoscatur. — Ad aliud genus verborum ita translatorum, ut dicendi rationem significent, transiturus verba *ὀλβίζω* et *μακαρίζω* a propria vi, quae est „felicem aliquem reddere", abire in hanc: „felicem praedicare", deinde

---

1) *προστάτης* supplex. O. C. 1171. 1278. Similiter nos dicimus: „Ich trete vor Dich, Gott."

2) Hunc versum et eos quibuscum consociatus est non delendos esse praeter alios ostendit Wunderus in adverss. in Phil. p. 13. 14.

3) Lobeck ad Aj. 798.

4) cf. nostrum überbringen, vorbringen (i. e. eloqui). *ἀναφέρω* ab Herodoto saepe eo modo usurpatur.

εὐδαιμονίζω, κακίζω[1]) sola felicem dicendi et maledicendi significatione usurpari hactenus duntaxat commemoratione dignum puto, ut ex ea analogia similis aliorum verborum usus explicetur. Sic in Phil. 374 et 382 *κακὰ* „convicia“ sunt[2]), quacum translatione Wunderus Latinae vocis „mala“ usum comparat, Ter. Andr. IV, 1, 16: „ingeram multa mala“ afferens. cf. Aj. 1244. — Quae in Phil. 968 leguntur: *ὄνειδος σαυτοῦ* „probrum, maledictum tui ipsius“, quam „malam de te famam“ [3]) vertere malim. — Simili modo v. 1089 usurpatum substantivum *λύπη*

(*ὦ πληρέστατον αὔλιον λύπας*)

„querimoniam de calamitate“ interpretemur necesse est, nisi pravam sententiam exsistere volumus; sed in eis quae v. 1142 leguntur:

ἐξῶσαι[4]) *γλώσσας ὀδύναν*,

fortasse non vox *ὀδύνη* translata offendit, sed verba novo modo conjuncta [5]) aliquid miri habent, cum vocabulis *ἐξῶσαι γλώσσης* aequantibus nostra: „über die Zunge bringen“, i. e. „verbis dicere“ totius enuntiati sententia haec sit: „dolorem prodere verbis“, opposita huic: „intra se continere dolorem.“ — In O. C. 1094 verbum *στέργειν* notione amandi in cupiendi translata vim precandi i. e. voti enuntiandi accepit; ad quem usum Hermannus exemplum attulit ex Orph. Argonaut., falso autem fuerunt qui Latinorum „amabo“ precandi atque optandi vocibus additum, quod

---

1) Compara nostrum: Einen schlecht machen

2) cf. § 11 de Aj. 725.

3) cf. nota 2 et § 10.

4) cf. *βάλλειν ἔπη* etc. p. 46.

5) Idem statuendum est de verbis quae in Phil. 650 leguntur: *κοιμῶ τόδ' ἕλκος*, ubi *ἕλκος* pro *ὀδυναί τοῦ ἕλκου* videtur positum esse; porro de verbis *ἀνηκέστῳ πυρί* (insanibili igni), nec non de Phil. 828, ubi quod *Ὕπνος εὐαής* dicatur, metaphoram a re navali esse sumptam — quales multae quidem in hac fabula inveniuntur, cf. Lindner §. 51. — Schneidewinus mihi non persuasit, somnum putanti, qui alis in fronte ornatus pingatur, flatu quodam hominibus obuenire, ut in El. 480: *ἀδυπνόων ὀνειράτων* legitur.

nostro fere: „ich bin Dir auch gut" simile est [1]), compararent; possunt comparari Germanica vocabula „haz" et „zorn" media aetate vi reprehensionis praedita. — In v. 454: ἁμοὶ Φοῖβος ἤνυσέν ποτε quorsum tendat aoristus ἤνυσεν Schneidewinus cognovit, qui relicta Hermanni sententia „effectum dedit" vim vocabuli esse ille putantis, et Dindorfii non accurate explicantis „edidit" in hunc modum verba transtulit: „einst verkündete als in Erfüllung gehende." cf. O. R. 720. Similiter nos dicimus ironice: es hatte es natürlich Niemand gethan, neminem se fecisse confessum esse intelligi volentes.

§. 12.

Quemadmodum ex accusativo objecti ἔπος vel simili verbum, cui ille adjunctus est, rationem dicendi significare cognoscitur, sic multorum verborum vis ita novatur, ut eis indicetur, quanam ratione id fiat, quod objecto notatur. — Sic ἔκειρε φόνον in Aj. 55 recte a scholiasta recentiore explicatur: κείρων ἐποίησε et 1287 κουφιεῖν ἅλμα ab eodem: πήδημα κοῦφον ποιήσειν [2]). cf. Eur. Suppl. 1047. — De Phil. 303: ἐξεμπολήσει κέρδος sufficit Dindorfii adscripsisse adnotationem, quae haec est: „negotiando lucrum faciet, ut κέρδος ἐμπολᾶν Trach. 93". — Porro conferas haec: O. R. 795: ἄστροις ἐκμετρούμενος χθόνα [3]) permensus terras ducentibus astris [4]); Aj. 1204: ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν nocturna voluptate quiete frui [5]). — Quae in O. R. 2 leguntur verba:

τίνας ποθ᾽ ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε

---

1) Simile est quod in O. C. 518 legitur: στέρξον, σ᾽ ἱκετεύω idem fere significans quod in sequenti versu: πείθου. Germanice nos dicimus: Thu's mir zu Liebe.

2) Wunder. in recensione Ajacis a Lobeckio editi p. 78 sqq.

3) Proverbium spectat Sophocles.

4) Bonitz Z. f. ö. G. 1856 p. 654.

5) cf. verbum: νύκτας ἰαύειν.

cum Erfurdtius et Hermannus ea interpretati essent: „quam mihi sessionem festinatis, i. e. quo studio venitis sessum“ [1]), Buttmannus [2]) Plutarchi de aud. poët. p. 22 *E* et Etymologici magni autoritate nisus vim sedendi in verbo θοάζω inesse [3]) quamquam plerisque editoribus persuasit, tamen vereor, ut id demonstrari possit; certe hoc loco Sophocleo cur Hermanni explicatio improbetur non video causam. — In ejusdem fabulae v. 205, quem sic praebent codices:

βέλεα θέλοιμ' ἂν ἀδάματ' ἐνδατεῖσθαι,

in voce ἐνδατεῖσθαι praeter vulgarem usum passive usurpata non praedicandi notio inest, quam Hermanni et Ellendtii opinionem refellit Wunderus, sed sagittae huc illuc emissae significantur, ut scholiasta dicit:

τὰ ἀδάματα καταμερίζεσθαι εἰς αὐτόν.

Admodum dignus, qui commemoretur, est usus verbi ῥύω in. O. R. 312 bis propria significatione usurpati, in tertia enuntiati parte novo modo repetiti, cum verbis:

ῥῦσαι δὲ πᾶν μίασμα τοῦ τεθνηκότος

haec fere sententia efferatur: salutem adlaturus omnem contumeliam amove a mortuo. — Quod audacter in Trach. 620 dixit poëta: πομπεύω τέχνην, bene vertit Hermannus in hunc modum: „mandatis perferendis exerceo artem“; verbo igitur πομπεύω quaenam τέχνη intelligenda sit definitur [4]). — Nota sunt haec: κλέπτειν τί clam aliquid perpetrare [5]), El. 37: σφαγάς, 114: τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους clam [6]) sibi matrimonium parantes, Aj. 1137: κακὰ κλέπτειν, Ant. 493: κλοπεύς proditor, El. 170: ἀγγελία ἀπατωμένα nuntius vanus allatus [7]); ὑπουργεῖν τι adjuvando efficere aliquid El. 461 [8]); denique Homericum illud:

---

1) G. Curtius, Grundz. d. griech. Etymol. I, p. 221.

2) in lexilogo II, 205. — Reisig commentat. crit. de O. C., v. 1162. — Wunder. cens. ed. Lob. p. 103 sqq.

3) Refellit hanc opinionem Hermannus ad Aesch. Suppl. 579.

4) Nauckius necessitate non coactus πομπεύω mutat in πρεσβεύω.

5) Stallb. ad Plat. Legg. IX, 876 *B*. cf. § 11 initio.

6) Attende vim praepositionis ὑπό.

7) G. Wolff. ad v. 37.

8) cf. ἀρωγά in v. 462.

τόσσην οἱ ἄσιν καθύπερθε καλύψω,

i. e. *καλύπτων ἐπιοίσω;* ad cujus similitudinem referri potest, quod paulo liberius dictum in Aj. 687 legitur: *μοὶ τάδε τιμᾶτε* i. e. honoris causa mihi hoc tribuite.

Substantivorum quoque propria vis ita novatur, ut rationem facti indicent; ut *ἔρως* beneficium significat, cui oppositum *στυγούμενον* „odiose factum" est [1]), *χάρις* beneficium sive gratia *relata* Phil. 557, *προσωφέλησις* utile factum, *ὕβρις* insolenter factum Trach. 888 — in quo non debuit offendere Nauckius, cum numerus ejusmodi exemplorum per sit magnus, quorum unum ad Trachiniarum locum attulit Ellendtius: *λάβη* El. 864. Liceat mihi pauca quae de Trach. v. 888 dicenda habeam addere. Quia enim insequens versus trimetrum efficit atque ille ipse sic structus est, ut tantum unus pes desideretur, illum quoque trimetrum fuisse verisimillimum putantes homines docti [2]) pedem, qui deest, diverso modo suppleverunt, interque eos Wunderus [3]) non male *τήνδε τὴν ὕβριν* scribendum proposuit; mihi in mentem venit *παρών* addendum esse, in quod optime quadrat nutricis responsum: *ἐπεῖδον — παραστάτις* [4]). — In Ant. 924 *δυσσέβεια* non „crimen impietatis" [5]), sed „impie factum" est; dicit enim Antigona: pia quae sim impia passus sum." — Versum Phil. 887:

τοῦ πόνου γὰρ οὐκ ὄκνος,
ἐπείπερ οὕτω σοί τ' ἔδοξ' ἐμοί τε δρᾶν

qui interpretati sunt: „non metuunt hunc laborem, si tibi mihique sic placet", *πόνος* laboriose factum, i. e. laboriosum

---

1) Dindorfius quidem de lectione dubitat.

2) Idem vitium, ut syllabam omitterent, commiserunt scribae in Aj. 384, ubi pro trimetro hunc versum traditum habemus: *ἴδοιμί νιν, καίπερ ὧδ' ἀτώμενος.*

3) emendatt. p. 104 sqq.

4) *παρών* praeteriti quoque significationem habere frustra negat Meinekius ad O. C. 1586 p. 201. cf. Böckh. ad Ant. 1192, qui eo loco vertit „als Augenzeuge". cf. Trach. 422. Propter versum Trach. supra allatum haec quaestio levis est.

5) cf. p. 43.

iter significare non cognoverunt; designari hanc sententiam: „Namque proficisci non dubitamus, si quidem tibi mihique sic placuerit" tres maxime sunt causae cur existimem: 1. quod *ἐπείπερ* non significat „si", sed „siquidem", et Philocteta, utrum *αἴρειν ἑαυτὸν* an *φέρεσθαι* malit, nondum dixit, 2. quod in v. 889 quorsum *αἰνῶ τάδε* tendat nisi ad proficiscendi consilium non intelligitur, cum eis demum quae sequuntur se a nautis ferri nolle dicat Philocteta, 3. quod verba *εἰ δέ σοι μᾶλλον φίλον* (v. 886.), si *ὄκνος* „labor ferendi" esset, aut repeterentur versu 888, aut ei repugnarent. *πόνος* autem saepius vim laboriosi itineris habet, cf. v. 248. 863. Aegre fero, quae in Aj. 1112 legantur *ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ*, quamvis recte ea explicaverit scholiasta: *φιλοκίνδυνοι*, a compluribus editoribus [1]) esse mutata. — Porro quae in Phil. 1150 leguntur:

φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων πελᾶτε

tantum abest, ut vitium continere concedam, ut artem poëtae admirandam esse censeam, qui voci *φυγή* vim celeritatis subjecerit non nimis a propria diversam [2]); recte enim explicat scholiasta antiquior: *οὐκέτι μετὰ φυγῆς καὶ φόβου προσπελάζετέ μοι* [3]). — De Aj. 215: *θανάτῳ γὰρ ἴσον πάθος ἐκπεύσει* paulo copiosius mihi dicendum est. Namque cum codex Laur. *πάθος* (superscr. β ρ) praebeat, apographorum autem alia *βάρος*, alia *πάθος* habeant, primum Dindorfium recte vidisse scribendum esse *βάρος* persuasum mihi est. Primum enim *βάρος* neque conjectura neque interpretamentum esse potest, contra *πάθος* conjecturae vel erroris scri-

---

[1]) Nauckius *φόβου* conjecit, Morstadtius *πόθου*, Seyfferti conjecturam omitto.

[2]) Compara nostrum: mit flüchtiger Eile.

[3]) *πελᾶτε* non transitive dictum esse, quae Hermanni fuit sententia, ex versu 1153 intelligitur:

ἀλλ' ἀνέδην ὅδε χῶρος ἐρύκεται

negligenter nunc ab hoc loco prohibemini, i. e. non prohibemini.

Propter verborum constructionem cf. O. R. 997:

ἡ Κόρινθος μακρὰν ἀπῳκειτο.

bae, cujus animo quod saepe legerat *πάθος πεύσει* obversabatur, speciem prae se fert. Deinde quo vitio *βάρος* in textum irrepserit vix intelligitur; quod enim Seyffertus vocem illam e versu 209 sumptam esse opinatur, possit quidem conjectura inde orta esse, sed si *βάρος*, ut Seyffertus putat, in versu 209 non recte sese habet, verisimile est, vocem ex hoc versu illuc irrepsisse, sin vera lectio ibi *βάρος* est, quod ego puto, plus fidei habet statuere, Sophoclem idem bis vocabulum usurpare voluisse, quam scribam facile illud intellectu *πάθος* correxisse et *βάρος* in textum intulisse. Denique admodum placet *βάρος* ita a Sophocle usurpatum, ut res gravis perpessu intelligatur. Sed haec hactenus.

§. 13.

Restat ut exempla afferam, quibus nonnullorum verborum vim in eam mutari, ut faciendo id, quod verbum proprie significat, efficere aliquid significent, comprobetur. Praesto sunt haec: Ant. 794: *ταράσσειν νεῖκος* turbando efficere, concitare rixam, quocum si Latinorum vocabulorum „turbare, turbator" usus comparatur [1]), addendum est, eo discrimine hunc a Sophocleo distare, quod verbum Latinum, si de seditione usurpatur [2]), ipsum in eam vim transfertur, quam Graecum *ταράσσειν* addito demum accusativo objecti *νεῖκος* accipit. — Ant. 675: *καταρρήγνυσι τροπάς* [3]), Ant. 973: *τυφλόω ἕλκος* caecando efficio vulnus [4]). Sermonis quadam abundantia ad *ἕλκος* praedicative *ἀλαὸν* additur. — Ant. 1345: *τὰ δ' ἐπὶ κρατί μοι πότμος εἰσήλατο* i. e. insiliendo effecit, attulit, vel „inruenda aduexit" [5]). — Trach. 355: *αἰχμάσαι τάδε*, quae ego quidem interpretor: „jaculando

---

1) Ellendtius Ruhnkenium in praef. ad Schelleri lex. p. XIV adiri jubet.

2) Maxime apud Tacitum vocabulum hanc significationem habet. cf. Böttich. in lex. Tac. p. 471.

3) cf. §. 11 p. 48.

4) Possit etiam de amplificata figura etymologica cogitari.

5) Erfurdtii verba.

hastam, i. e. pugnando hoc perficere" [1]). — Phil. 129: *δολόω μορφήν* simulo speciem. — frgm. 430, 4: *μετρῶν* [2]) *ὀφθαλμόν* oculum ad certam regulam, constanter movens. Vocem *μετρῶν* non corruptam esse ex verbis *ὥστε κανών* intelligitur [3]). — Aj. 435:

τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας,

de quibus verbis egregie dicit Hermannus: „Notanda sermonis poëtici audacia *ἀριστεύσας* pro *λαβὼν* („sibi parans") *τῷ ἀριστεῖσαι* novantis" [4]). — Paulo accuratius dicendum est de verbis, quae in Aj. 439 leguntur:

οὐδ' ἔργα μείω χειρὸς ἀρκέσας ἐμῆς.

Vocabulum *ἀρκέσας* cum plerique editores *ἀρκῶν* (*βοηθῶν*) *πράξας*, i. e. „eo quod sufficiunt vires efficiens" interpretati essent, solus Seyffertus non contentus hac explicatione Sophoclem *ἀρκεῖν ἔργα* in hanc sententiam dixisse putavit: „rebus gerendis parem vel sufficientem esse", rectum sine dubio sentiens, nec tamen accurate dicens; nam quod dicit, id verbo *ἀρκεῖν* cum dativo conjuncto significatur, cum accusativo conjunctum verbum hanc vim habet: [eo quod vel] quia rebus gerendis par sum, eas perficio; cf. *οὐδὲν ἀρκεῖν* in v. 590 [5]). — Ut disserendi de hoc translationis genere tandem finem faciam, verbo tantum commemoro in Ant. 756 *κωτίλλειν* significare: „garrulitate molestare" [6]), atque in El. 31 substantivo *καιρός* vim recti subjectam esse vel „commodi quod quasi ex observata opportunitate redundat" [7]).

---

1) De aliorum sententiis of Ellendtium.

2) Sic Valckenarius reste scripsit pro *μέτρων*.

3) Solent poëtae, si particula *ὥστε* vel aliis simile adnectunt, jam in antecedente enuntiati parte verbum eligere, quod ad imaginem aptum sit. cf. Ant. 112 sqq. ibique Böckhium.

4) cf. v. 1300.

5) cf. quae de Aj. 360 et Ant. 612 disputabo §. 27.

6) Secus censet Böckhius p. 278.

7) Ellendt. I. p. 901. cf. *λέγειν, φρονεῖν καίρια* El. 228, aliis locis.

Corrigenda:

pag.	8	vers.	18	legendum	est	1214	pro	914
"	9	"	13	"	"	satus	"	sertus
"	12	"	15	"	"	Phil. 650	"	Phil.
"	18	"	"	"	"	ἐνίοτε	"	ἐνίοτι
"	24	"	11	"	"	διεπεραιώθη	"	διαπεραιώθη
"	28	"	18	"	"	quod	"	quid



